MASTER NEGATIVE NO. 92-80479-7

AUTHOR:

HEINDL, WILHELM

TITLE:

QUAESTIONES SOPHOCLEAE...

PLACE:

MUNCHEN

DATE:

1902

Master Negative #

92-80479-7

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

88SE
Z8 Heindl, Wilhelm, 1876-
v.1 Quaestiones Sophocleae criticae. Inaugural-dissertation...von Wilhelm Heindl. München, buchdruckerei, von J.B.Lindl, 1902.
36 p. 21½ cm.

Thesis, Munich.

Volume of pamphlets


142325


Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 03.12.1992 INITIALS Emilian
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT










Centimeter



Inches







QUAESTIONES SOPHOCLEAE CRITICAE.

INAUGURAL-DISSERTATION,

DER

PHILOSOPHISCHEN FAKULTÄT, SEKTION I,

DER

KGL. BAYER. LUDWIG-MAXIMILIANS-UNIVERSITÄT

EINGEREICHT AM 1. MAI 1902

VON

WILHELM HEINDL.

MÜNCHEN.
Buchdruckerei von J. B. Lindl.
1902.

QUAESTIONES
SOPHOCLEAE CRITICAE.

INAUGURAL-DISSERTATION,

DER

PHILOSOPHISCHEN FAKULTÄT, SEKTION I,

DER

KGL. BAYER. LUDWIG-MAXIMILIANS-UNIVERSITÄT

EINGEREICHT AM 1. MAI 1902

VON

WILHELM HEINDL.

MÜNCHEN.
BUCHDRUCKEREI VON J. B. LINDL.
1902.

MULTI imperiti homines irridere solent eos philologos, qui arti criticae dediti sunt, quod angustis atque inutilibus illigentur disputationibus. Hanc opinionem belle et descripsit et refellit ille Georgius Ebersius, homo cum doctissimus tum ingenio poëtico praeditus, in narratione sua, quae inscribitur „die Schwestern“ (in cap. IX.): Inter epulum Euergete, fratre regis Aegyptii, et Aristarcho illo de loco quodam Homerico emendando disputantibus unus ex convivis, P. Cornelius Scipio, quippe qui omnia ad usum vitae referret: 'Quem fructum', inquit, 'philologi ex eo laboris genere percipitis, is perquam levis atque tenuis est'. Aristarchus autem illum his verbis redarguit: 'Eo plus ponderis habere etiam rem minimam, quo perfectior esset res universa, cuius particula illa esset. Atqui quid esse perfectius, quid dignius, quod conservaretur, quam opera praeclara summorum et poëtarum et philosophorum? Quae ab omni damno prohibere omnesque maculas, quibus tempore procedente aliquid de illorum perfectione atque absolutione decerptum esset, eluere ipsis philologis propositum esse'.

Praesidia autem restituendi verborum nitorem atque elegantiam saepenumero corruptelis obscuratam repetenda sunt ab arte critica. Neque vero me certa voluntate animi ad eam artem inclinantem fugerunt aut difficultates aut pericula, quae eos, qui ad eam exercendam accedunt, undique circumstant. Neque de emendandis locis praecepta firma aut stabilia tradi possunt, atque etiam docti in hoc ipso iudicando, utrum sanus sit locus quidam necne, contrarias saepe in partes distrahuntur. Unde exsistit quasi bellum quoddam inter interpretes et criticos, ubi crebro valet illud Horati:

'Iliacos intra muros peccatur et extra.'

Neque enim raro et illi, quamquam lectio tradita retineri nequit, tamen qualemcumque ei sensum extorquere student, et hi, etsi lectio suspicionem non movet iustam, tamen libidini vel verba mutandi vel totum locum damnandi indulgent.

Ego quidem sic statuo nullam coniecturam esse probabilem, nisi necessaria aut certe gravis mutandi causa affertur, nisi coniectura totius loci cohaerentia comprobatur, confirmatur exemplorum similitudine eademque et litteras traditas sequitur et corruptelae declarat originem.

Priusquam ad hanc commentationem ipsam aggredior, illud praemittendum puto me codicis illius Laurentiani XXXII, 9, quod fundamentum textus fabularum Sophoclearum constituendi esse inter omnes criticos constat, breviter significandi causa compendium L usurpare, et doctorum vel verba vel opiniones vel coniecturas, quae afferenda putavi, si nihil aliud addo, reperiri posse in eorum editionibus Sophocleis.

In ascribendis versibus Sophocleis, Aeschyleis, Euripideis, ceterorum tragicorum usus sum his editionibus:

Sophoclis trag. ex rec. Guil. Dindorfii, ed. VI. maior, quam curavit S. Mekler. Lipsiae 1896.

Aeschyli trag., ed. Henr. Weil. Lipsiae 1891.

Euripidis trag., ed. III. Aug. Nauckii. Lipsiae 1881.

Tragicorum Graecorum fragmenta, rec. Aug. Nauck, ed. II. Lipsiae 1889.

Alii libri suo loco afferentur.

Aiax v. 1310 sqq.

ἐπεὶ καλόν μοι τοῦδ' ὑπερπονουμένῳ
θανεῖν προδήλως μᾶλλον ἢ τῆς σῆς ὑπὲρ
γυναικὸς ἢ τοῦ σοῦ θ' ὁμαίμονος λέγω.

Verba *τῆς σῆς ὑπὲρ γυναικὸς*, quia hoc loco tantum de Helena, quippe quae belli Troiani fuerit causa, agi potest, illud autem *τῆς σῆς ὑπὲρ γυν.* ad Clytaemestram, uxorem Agamemnonis, referatur necesse est, haud dubie corrupta sunt. Verumtamen exstiterunt eorum verborum defensores.

Ac primum quidem duo loci Homerici loco, de quo disputamus, similes esse dicuntur. Afferunt Il. I v. 325 sqq., quibus Achilles se dies noctesque in bello perseverare dicit '*ἀνδράσι μαρνάμενος ὀάρων ἕνεκα σφετεράων*'. Hic versus eam explicationem admittit, ut illas mulieres intellegamus eas, quae in Graecorum expeditionibus captae alia alii tribuuntur. Sin autem verbis *ὀάρων ἕνεκα σφετεράων* significatur Helena, pluralis usus adhibitus est ex poëtica oratione[1]), obscuritas autem dicendi, cum, utrius Atridae uxorem poëta significaverit, nemo non perspiciat, est nulla. Illo igitur loco Homerico quivis de Helena, de Clytaemestra nemo cogitat. Item non est, quod comparetur Il. I v. 340 sq. *ἦ μοῦνοι φιλέουσ' ἀλόχους μερόπων ἀνθρώπων | Ἀτρεῖδαι;* quia, utrum Atridam quamque uxorem Achilles dicat, ipsis verbis praecedentibus *ἦ οὐχ Ἑλένης ἕνεκ' ἠυκόμοιο* poëta satis ostendit. Quare non licet assentiri Eustathio ad hunc locum Homericum adnotanti: *ἰστέον, ὅτι ἐντεῦθεν ὁ Σοφοκλῆς μεθοδευθεὶς ποιεῖ τὸν Τεῦκρον λέγοντα τῷ Ἀγαμέμνονι, ὅτι ὁ Αἴας διὰ τὴν αὐτοῦ γυναῖκα ἐν Τροίᾳ ἐμάχετο, ταὐτόν τι λογισάμενος τὸ διὰ τὴν αὐτοῦ καὶ τὸ διὰ τὴν τοῦ Μενελάου ἀδελφοῦ.*

Sed alia quoque ratione illa verba defendi solent. Defendunt enim pronominis possessivi usu despicientiam quandam Helenae contineri, quae utrius Atridae uxor sit, se nescire simulet Teucer. At obscuritas verborum *τῆς σῆς ὑπὲρ γυναικὸς*, nisi Helenae nomen

---

[1]) Cf. ex. gr. Soph. El. v. 1066 sqq. *ὦ χθονία βροτοῖσι Φάμα, | κατά μοι βόασον οἰκτρὰν | ὄπα τοῖς ἔνερθ' Ἀτρείδαις*, nimirum hic de Agamemnone solo agi potest.

iis additum est, non tollitur atque Teucrum, ut contemptionem suam Helenae ostenderet, non pronomine possessivo, sed multo acerbiore usum esse verbo mihi persuasum est cogitanti, quantis quotiens conviciis, ut infra exponam, tragici Helenam quasi obruerint.

Obscuritatem autem dicendi in ἢ τῆς σῆς ὑπὲρ γυναικὸς multi docti tollere sibi videntur, cum in v. sq. Teucrum, ut, quid τῆς σῆς ὑ. γ. sibi velit, cognoscatur, verba sua corrigentem faciunt. Id iure consentiunt ϑ' particulam in v. 1312 corruptam esse, verum alii Botheium secuti scribunt ἢ τοῦ σοῦ γ' ὁμαίμονος λέγω; alii ἢ τοῦ σοῦ ξυναίμονος λέγω; quae coniectura Dindorfii est. Wecklinus quidem adnotat: Weil es (τῆς σῆς ὑπὲρ γυν.) aber auch heissen kann „für deine Gattin", verbessert er sich „richtiger gesagt für das Weib deines Bruders".

Num veri simile est Teucrum, cuius verba acria in altercatione aculeos in animis relinquunt, orationem suam gravem concludentem primum vitio dicendi, deinde eius correctione usum esse tam languida? Wecklinus conferri vult Aesch. Cho. 1072 ἦλθέ ποϑεν σωτήρ, ἢ μόρον εἴπω; Quae correctio, quantam vim et gravitatem habeat, nemo est, quin intellegat. Hermannus denique scribi voluit ἢ σοῦ σοῦ ϑ' ὁμαίμονος. Quae coniectura ob eam ipsam causam parum probabilis est, quod ea obscuritas dicendi in τῆς σῆς ὑπὲρ γυν. non tollitur. Assentior equidem Meklero, qui v. 1311 sq. non uno vitio laborare, in v. 1312 σοῦ σοῦ ϑ' ὁμαίμονος Hermannum scripsisse non minus dubia correctione quam quae ab aliis excogitata sint, recte censuit. Similiterque de coniecturis adhuc de hoc loco factis iudicavit Nauckius.

Sed mihi iam ipsi ad coniciendum aggredienti hic sententiarum nexus ad finem perducere videtur. Oratio Teucri spectat ad fratrem seque collaudandos, illudendos Atridas. Scite omnes ansas, quas Atridarum generis fortuna vel potius fatum ad male illis dicendum ei dedit, arripuit (v. 1291—98). Hoc autem loco Helenae eum mentionem facere apparet. De qua eum non tam languida verba fecisse, sed ad rem multo aptiora putandum est. Quid? ille 'τοξότης' Helenam commemorans nonne quasi acutam sagittam quandam in Atridas mittere potuit, quippe cum illa cavillandi et irridendi materiam adversario Atridarum praeberet? Mirandum profecto esset, si Sophocles contra usum tragicorum non fecisset Teucrum Helenae perfidiam nequitiamque insectantem epitheto contumelioso voci γυναικός adiecto. Eoque magis eiusmodi adiectivo apud γυναικός locus est, quod certamen pro Aiace, viro praeclaro, pugnae pro Helena, muliere mala, oppositum est. Neque tamen quisquam Teucrum circumlocutione sine nervis, quam Gom-

perzius requisivit: ἢ τοιᾶσδ' ὑπὲρ γυναικός, οἵαν τὴν ὁμαίμονος λέγω[1]) usum esse putabit.

Quod autem adiectivum contumeliosum ad γυναικός requiratur, ex eo cognoscas, quod in mulieribus reprehendendis nullum fere probrum apud Graecos usitatius fuit probro κακὴ γυνή. Cf. apud Sophoclem ipsum Ant. v. 650 sq. ψυχρὸν παραγκάλισμα τοῦτο γίγνεται, | γυνὴ κακὴ ξύνοικος ἐν δόμοις, ibd. 571 κακὰς ἐγὼ γυναῖκας (scil. Antigonam) υἱέσιν στυγῶ, Trach. 438 οὐ γὰρ γυναικὶ τοὺς λόγους ἐρεῖς κακῇ. Stob. Flor. 69, 14 οὕτω γυναικὸς οὐδὲν ἂν μεῖζον κακὸν | κακῆς ἀνὴρ κτήσαιτ'. Σοφοκλῆς Φαίδρᾳ. Eadem fere verba exhibent Simonidis Amorgini fragm. 6 et Hesiodi Op. v. 702.

Accedit, quod Helena ipsa a poëtis, ut infra exponam, κακὴ γυνή saepe appellata est. Unum iam hic ascribo versum verbis ϑανεῖν . . . κακῆς (pro τῆς σῆς) ὑπὲρ γυναικὸς similem: Eur. Iph. Taur. 566 κακῆς γυναικὸς (scil. Helenae) χάριν ἄχαριν ἀπώλετο.

Atque etiam, quod magni momenti est, sub vocabulo σῆς huius ipsius, quod requiritur, adiectivi κακῆς secunda syllaba latet [KAKHC. Nam K et IC saepe permutata esse constat[2]).

τῆς
Ut ego κακῆς ὑπὲρ γυναικὸς in KAICHC ὑ. γ. corruptum puto, sic Schneidewinus in Oed. Col. v. 936 φρονῷ pro τῷ νῷ emendavit, sic in Choephor. 897 Robortellus ὠκύ (ωKY) in ᾧ σὺ (ωICY), sic Weilius in Sept. 945 KAKOC in ICOC abire iussit, sic Nauckius probabiliter εἶς pro ЄK in Trach. 941 coniecit, sic in Hesychii lexico (rec. Mor. Schmidtii) p. 456 κεκιβδηλευμένῳ pro κεισιβδηλευμένῳ, contrarie ibd. p. 457 κείσσινα (vocabulum a Meinekio restitutum) pro κεκεῖνα emendatum est.

Ubi autem semel KAI CHC pro KAKHC librarius vel scripsit vel legit[3]), καὶ aut consulto omitti potuit, quod specie ineptum erat, aut facile excidere neglegentia librarii propter pronominis possessivi cum articulo coniunctionem usitatam[4]). Atque verba ἢ καὶ σῆς mendo ἢ τῆς σῆς obnoxia erant ob eam ipsam rem, quod ἢ τοῦ σοῦ sequebatur.

---

[1]) Vide adnot. crit. edit. Mekleri p. 26.

[2]) Cf. Iwan v. Müllers Handbuch der klassischen Altertumswissenschaft I. Bd.[2] II. Abt. p. 264. Hic de similitudine maiuscularum quarundam Graecarum disserens Blassius affert cum alia exempla corruptelarum inde ortarum tum haec: CKYΦOC pro CICYΦOC (Athen. XI, 500 B) et ЄK pro ЄIC.

[3]) Cf. emendationem Musgravii Ant. 1342 κλιϑῶ (KΛIΘω) pro καὶ ϑῶ (KAI Θω), Stanleyi in Eumenid. 169 μαντικὸν μιάσματι pro μάντι σῷ μιάσματι.

[4]) Constat articulum saepe inculcatum esse. Ex. gr. in v. 227 Alcestis alii libri δάμαρτος σῆς, alii τῆς σῆς exhibent.

Ut rem brevi comprehendam, veri simillimum est vitium dicendi in ἢ τῆς σῆς ὑπὲρ γυναικὸς sic ortum esse, ut in ἢ ΚΑΚΗC ὑπὲρ γυναικὸς librarius neglegens σῆς ὑπὲρ γυναικὸς legeret et articulus usitatus τῆς ad σῆς pro ΚΑΙ irreperet.

Sed quam sit accommodatum hoc loco κακῆς ὑπὲρ γυναικός, exponere pergam. Nonne consentaneum est Teucrum, cuius matrem Agamemno insultavit (v. 1229 sq.), iratum lacessitumque uxori Menelai, adversarii sui, male moratae male dicere, praesertim cum ignominia uxoris ad maritum quoque pertineat (cf. Eur. Or. 737, ubi de Menelao et Helena dicitur εἰκότως κακῆς γυναικὸς ἄνδρα γίγνεσθαι κακόν) atque etiam ad fratrem Menelai, Agamemnonem ipsum, cuius generis claritas ab ista mala muliere macula aspersa sit? Teucer, quem 'οὐδὲν ὢν ὑπὲρ τοῦ μηδὲν' resistere (v. 1231) dixit Agamemno, respondet ipsius certamen fratris clarissimi fortissimique sepeliendi causa honestius esse quam illius, quippe qui mulieris malae recuperandae causa pugnet[1]).

Quoniam, quam loci sententiae conveniat Helenam verbis plenis ignominiae notari, iam satis demonstratum esse videtur, a Teucro Helenam appellari malam mulierem ex poëtarum scenicorum usu moreque, ut κακῆς ὑπὲρ γυναικός hoc loco unice accommodatum esse vincam, nunc ostendam brevi excursu. Nimirum cum Sophocles in ceteris fabulis suis, quae quidem exstant, Helenae mentionem non fecerit, ad ceteros poëtas animos convertamus necesse est.

Atque iam Homerus in Odyssea λ 384 Helenam malam mulierem dicit: οἳ Τρώων μὲν ὑπεξέφυγον στονόεσσαν ἀυτήν, | ἐν νόστῳ δ' ἀπόλοντο κακῆς ἰότητι γυναικός[2]). Similis in Iliade versus invenitur Τ 325 εἵνεκα ῥιγεδανῆς Ἑλένης Τρωσὶν πολεμίζω.

Attici vero poëtae Helenae (et Menelao) eo libentius male dicebant, quod occasionem sic nanciscebantur in Lacedaemoniorum invisorum ingenia ac mores tecte insultandi. Iam Aeschylus in Helenam confert convicia multis tragoediae Agamemnonis locis velut v. 62 πολυάνορος ἀμφὶ γυναικός, 407 ἄτλατα τλᾶσα, 689 ἑλέναυς, ἕλανδρος, ἑλέπτολις, 749 νυμφίκλαυτος Ἐρινύς. Ab Euripide vero Helena cum conviciis obruitur tum saepe κακὴ γυνή appellatur. Ac primum quidem locus loco Sophocleo, de quo quaerimus, plus uno nomine similis est Or. v. 520 sqq., ubi Menelao dicit Tyndareus:

[1]) Cf. etiam acerbiora verba Pelei in Eur. Androm. v. 607 sq. ἣν (Helenam) χρῆν σ' (Menelaum) ἀποπτύσαντα μὴ κινεῖν δόρυ κακὴν ἐφευρόντ', ἀλλ' ἐᾶν αὐτοῦ μένειν.

[2]) Hunc locum ad Helenam referri vides ex v. 437 ibd. Ἑλένης μὲν ἀπωλόμεθ' εἵνεκα πολλοί.

Ἑλένην τε τὴν σὴν ἄλοχον οὔποτ' αἰνέσω
οὐδ' ἂν προσείποιμ'· οὐδέ σε ζηλῶ κακῆς
γυναικὸς ἐλθόνθ' εἵνεκ' εἰς Τροίας πέδον.

Deinde κακὴ γυνή nominatur Helena ibd. v. 737 (v. 741 δάμαρτα τὴν κακίστην) v. 1139; Iph. Aul. 1169, Iph. Taur. 566, Androm. 595, 621.

Ex multis aliis Helenae insultationibus adnoto unam, ex qua, quam fieri coeperit famosum apud Graecos nomen Helenae, nemo est, quin intellegat, sumptam ex Iph. Taur. v. 525, ubi Iphigenia, cum Helenam iterum Spartae uxorem Menelai habitare cognoverit, exclamat: ὦ μῖσος οὐ σ' Ἕλλησιν, οὐκ ἐμοὶ μόνῃ.

Sed quid tragici de Menelai uxore iudicarint, iam perspexeris simulque cognoveris probrum κακὴ γυνή Euripidis quidem usu prope statutum esse. Verum haud scio an nullo alio loco atque in oratione Teucri omnia undique in Atridarum domum colligentis convicia hoc tam usitatum probrum sit magis idoneum.

Atque coniecturam ἢ κακῆς ὑπὲρ γυναικός qui recipiet, is Teucrum in v. 1312 verba sua, ut, quid τῆς σῆς ὑπὲρ γυναικὸς sibi velit, cognoscatur, corrigentem facere iam supersedebit. Lenissima coniectura ἦ pro ἢ[1]) et γ' (cum Botheio), quam particulam primo in τ' (Γ in Τ), ut saepissime, tum in θ' ante spiritum asperum abisse[2]) puto, res conficietur, si scribetur:

ἐπεὶ καλόν μοι τοὔδ' ὑπερπονουμένῳ
θανεῖν προδήλως μᾶλλον ἢ κακῆς ὑπὲρ
γυναικός· ἦ τοῦ σοῦ γ' ὁμαίμονος λέγω.

„Denn es ist für mich offenbar ehrenvoller, für diesen mich bemühend, zu fallen als für ein schlechtes Weib; wahrlich deines Bruders (τοῦ σοῦ γ' ὁμαίμονος pendet ab γυναικός) (Weib) meine ich."

Acerbitas dicendi maior fit, cum κακῆς ὑπὲρ γυναικός et τοῦ σοῦ γ' ὁμαίμονος ita diiunguntur κακῆς ὑπὲρ γυναικός et ἦ τοῦ σοῦ γ' ὁμαίμονος λέγω — utrumque enim diiunctione maiorem habet vim — quam si ita coniuncta essent, ut genetivus genetivum sequeretur.

Hos versus dicenti Teucro Athenienses assensos esse putandum est, quia Aiax apud eos, quem quasi suum vindicabant[3]), summa gloria floruit[4]), Helenae autem nomen, ut supra vidimus, famosum fuit.

[1]) O. C. 251 ἦ pro ἤ, ibd. 643 contrarie ἤ pro ἦ in L scriptum est.

[2]) Cf. O. R. 1335 ὅτῳ γ' in L manu antiqua correctum ex ὅτωι θ', contra Phil. 584 χρηστά γ' L, correctum a Dobraeo in χρηστά θ'.

[3]) Cf. Ai. v. 202, 861, 1221 sq.

[4]) Una phylarum ab Clisthene Αἰαντίς Aiaci nominata est.

Electra v. 1074 sqq.

πρόδοτος δὲ μόνα σαλεύει
Ἠλέκτρα, τὸν ἀεὶ πατρὸς | δειλαία στενάχουσ' κτἑ.

Cum scholiastae accipienti verba *τὸν ἀεὶ* pro *τὸν ἀεὶ χρόνον* assentiri non liceat, quod nusquam *τὸν ἀεί* pro *τὸν ἀεὶ χρόνον* dictum est, ea verba emendatione indigent. Neque ea liberavit offensione Hauptius, qui ad verba *τὸν ἀεὶ* subintellegi *στεναγμόν* ex *στενάχουσα* voluit[1]). At tales ellipses tantum fere in certis usitatisque locutionibus admitti videntur, id quod etiam ex exemplis, quae attulit Hauptius, cognosci potest: Aristoph. Plut. 845 *μῶν οὖν ἐμυήθης δῆτ' ἐν αὐτῷ τὰ μεγάλα* (scil. *μυστήρια*), Equ. 50 *ἐκδικάσας μίαν* (scil. *δίκην*). Atque ex ceteris exemplis Aesch. Ag. 1640 *τὸν δὲ μὴ πειθάνορα ζεύξω βαρείαις* (scil. *ζεύγλαις*), Eur. Herc. fur. 180 *τὸν καλλίνικον μετὰ θεῶν ἐκώμασε* similiterque ibd. 680 *ἔτι τὰν Ἡρακλέους καλλίνικον ἀείσω* sponte intellegitur in adiectivis tam definitis multo facilius substantivum omissum subintellegi quam in verbis *τὸν ἀεί*. Quod autem maximum est, ipse genetivus obiectivus indicio est in verbis genuinis praecessisse substantivum, unde penderet. Neque omnino eiusmodi ellipses in Sophoclis dictione inveniuntur.

Itaque Hauptii illa explicatio incertissima est. Wecklinus quidem hoc de loco Sophocleo ita disputavit in recensenda Kaibelii editione Electrae[2]): „Ob statt der kühnen Erklärung von Haupt nicht eine methodische Aenderung vorzuziehen ist, ist mir fraglich. Man findet bei der Ergänzung von Nomina gewöhnlich nur Feminina. Wenn sich bei späteren *τὸν περὶ τῆς ψυχῆς* findet, so ist nichts für unsere Stelle bewiesen, da hier die Praeposition zur Vermittlung dient, während der obiective Genetiv *πατρός* das regierende Nomen fordert".

Quamobrem interpretandi artificiis spretis critici locum, de quo disputamus, varie tentaverunt. Quae eius verba sana sint, quaeque coniecturae a sensu abhorreant, bene breviterque exposuit Iebbius.[3]) Quare, ne ab alio amentatas hastas torquere videar, eius verba

[1]) In Opusculis II, p. 301, Lips. 1871. Hauptium secutus est Kaibelius in editione Electrae Sophocleae.

[2]) Berl. Philol. Wochenschrift 1897 p. 1316.

[3]) Sophocles, the plays and fragments. With critical notes, commentary and translation in English prose by R. C. Iebb. Cambridge, University Press.

ipsa ascribam: „No certain correction has yet been proposed. The word *ἀεί* is clearly genuine: hence *θάνατον πατρός* (Froehlich) is improbable. *πατρός* must also be right . . . the doom, which she mourns, is not her own[1]). This excludes Dindorf's coniecture *τὸν ἑὸν πότμον*. Schneidewin proposed *Ἠλέκτρα πότμον ἀεὶ πατρός* retaining *μά* after *ἀλλ' οὐ* in v. 1083: but this is metrically wrong, since *μά* is always short".

Sed alia Schneidewini opinio, qui existimavit corruptelam ortam esse ex glossa *Ἠλέκτρα* ad verba *ἁ παῖς* scripta, ut haec tollerentur, multorum assensum tulit. At non opus esse hoc dubio remedio glossam statuendi ostendam. Accedit, quod alius aliud substituit, ut Schneidewinus *ἁ παῖς πότμον*, ut Heathius *ἁ παῖς οἶτον*, ut Wecklinus *ἁ παῖς οἶκτον*.

Magnopere miror neminem adhuc, quid in litteris ΗΛЄΚΤΡΑΤΟΝ lateat, diligenter investigasse videri. Quid? nonne nomina propria pro substantivis propter litterarum similitudinem haud raro irrepserunt? Madvigius quidem in cap. III primi libri Advers. crit. nonnulla nomina propria in scriptis et Graecis et Latinis falso posita eiecit et genuina verba propter litterarum similitudinem depravata restituit. Apud Sophoclem ipsum ei rei documento est Ai. v. 923, ubi Mekler verba: *ὦ δύσμορ' Αἴας, οἷος ὢν οἵως ἔχεις* ita emendavit: *ὦ δύσμορ', ἄτας οἷος ὢν οἵας ἔχεις.*

Similiter hic locus sanari potest:

πρόδοτος δὲ μόνα σαλεύει
ἁ λέκτρ' ἄθλι' ἀεὶ πατρὸς | δειλαία στενάχουσ' κτἑ.

Si contuleris ΑΛЄΚΤΡΑΘΛΙ (antiquitus primo scriptum ΗΑΛЄΚΤΡΑΘΛΙ) cum ΗΛЄΚΤΡΑΤΟΝ videbis errandi opportunitatem.

Primum, quam sit apta haec Electrae lamentatio, videamus, deinde quaeramus de corruptelae origine, denique similium querelarum exempla afferamus.

Hoc praemitto nullum dubitationi locum relictum esse, quin *ἁ λέκτρ' ἄθλι' ἀεὶ πατρὸς στενάχουσα* sit Electra; similiterque participii et articuli coniunctione certa persona significatur O. R. 401 *κλαίων δοκεῖς μοι καὶ σὺ χὠ συνθεὶς τάδε* (scil. Tiresias) *ἁγηλατήσειν*, Trach. v. 377 sq. *ἆρ' ἀνώνυμος | πέφυκεν, ὥσπερ οὑπάγων* (scil. Lichas) *διώμνυτο*, Ai. 635 *κρείσσων παρ' Ἅιδᾳ κεύθων ὁ νοσῶν μάταν* (scil. Aiax), O. C. v. 1077 sqq. *τᾶν δεινὰ τλασᾶν, δεινὰ δ' εὑρουσᾶν πρὸς αὐθαίμων πάθη* (scil. Antigonae et Ismenae).

Sic verto: 'quae misera miserum torum genialem sive miserum conubium patris semper lamentatur'.

[1]) Addo, quod Nauckius recte dixit propter gemitum de patre Electram v. 1081 *εὔπατρις* vocari.

Torus genialis Agamemnonis miser vocatur causaque perpetuo gemendi Electrae est, quia in eo pro patre Aegisthus cubat adulter cum impia patris uxore. Hoc enim maxime lamentatur, maxime indignatur Electra, id quod exprimitur multis verbis v. 271 sqq.

ἴδω δὲ τούτων τὴν τελευταίαν ὕβριν,
τὸν αὐτοέντην ἡμὶν ἐν κοίτῃ πατρὸς
ξὺν τῇ ταλαίνῃ μητρί, μητέρ' εἰ χρεὼν
ταύτην προσαυδᾶν τῷδε συγκοιμωμένην.
ἡ δ' ὧδε τλήμων ὥστε τῷ μιάστορι
ξύνεστ', ἐρινὺν οὔτιν ἐκφοβουμένη.

Huius, qua torus patris affectus est, ignominiae identidem mentionem facit Electra, ut v. 97 *κοινολεχὴς Αἴγισθος*, ut v. 112 sq. *σεμναί τε θεῶν παῖδες Ἐρινύες, αἳ.. ὁρᾶθ'... τοὺς εὐνὰς ὑποκλεπτομένους,* ut v. 587 *ἥτις ξυνεύδεις τῷ παλαμναίῳ,* v. 593 sq. *οὐ γὰρ καλὸν | ἐχθροῖς γαμεῖσθαι.* Chorus autem ipse hoc scelus gemuit v. 492 sqq. *ἄλεκτρ' ἄνυμφα γὰρ ἐπέβα μιαινοφόνων γάμων ἁμιλλήμαθ', οἷσιν οὐ θέμις.* Itemque copiose Orestes torum patris a matre sua maculatum queritur in Eur. Or.

v. 557 sqq. *ἡ σὴ δὲ θυγάτηρ, μητέρ' αἰδοῦμαι λέγειν,*
ἀθέοισιν ὑμεναίοισι κοὐχὶ σώφροσιν
εἰς ἀνδρὸς ᾖει λέκτρα

v. 575 *κοὐκ ἔσωσ' ἀκήρατον λέχος* (scil. Clyt.)

v. 589 sq. *οὐ γὰρ ἐπεγάμει πόσει πόσιν* (scil. Penelopa ut Clyt.), *μένει δ' ἐν οἴκοις ὑγιὲς εὐνατήριον.* Cf. denique Eur. El. 211 sq. *μάτηρ δ' ἐν λέκτροις φονίοις ἄλλῳ σύγγαμος οἰκεῖ.*

Atque in cantico ipso respondet verbis, quae restituenda puto, v. 1080 *διδύμαν ἑλοῦσ' ἐρινύν* (geminae furiae, quae Agamemnone sublato conubio nefario fruuntur).

Simul autem licet significationem tralatam vocis *λέκτρα* 'conubium' adhibere in interpretatione horum verborum: miserum dicitur patris conubium, quia inde atrox pernicies ei orta est. Verbis *ἁ λέκτρ' ἄθλια...*[1]) *δειλαία στενάχουσα* cf. Aesch. Sept. 779 *ἐπεὶ δ' ἀρτίφρων ἐγένετο μέλεος ἀθλίων γάμων,* Eur. Troi. 745 *ὦ λέκτρα τἀμὰ δυστυχῆ,* contrarie Or. 1208 *μακάριον λέχος.*

Sequitur, ut *ἁ λέκτρ' ἄθλι'* lenissimam coniecturam esse demonstretur. Minimo scribendi errore ON pro ΘΛΙ totum locum perturbari necesse fuit. Nam cum ΘΛΙ in ON abisset (cf. emendationem Mekleri in O. C. 243 *τοῦδ' ἀθλίου* pro *τοῦ μόνου*

[1]) Adiectivum *ἄθλιος* Sophocles saepissime usurpat; de homine dictum est quinquies decies, ut *πατέρ' ἄθλιον* El. 133, de re undecies ut *ἄθλιον δόμον* O. C. 370, *ἄθλιον τοὔνειδος* ibd. 753. Vide lexicum Sophocleum Ellendtii, Berolini 1872.

'ΜΟΝΟΥ = ΔΑΘΛΙΟΥ')[1]), quid aliud ex ΑΛΕΚΤΡΑΟΝ oriri potuit nisi *Ἠλέκτρα τὸν*? Quid? si quis dorismo neglecto Η pro Α (*ἡ* pro *ἁ*) scripsit?[2]) Idem iam in transcriptione ex Atticarum litterarum *(τῶν Ἀττικῶν γραμμάτων)* formis in Ionicarum litterarum notas accidere potuit, si quid illi 'metacharacterismo' in fabulis tragicorum tribuendum est: ΗΑ(= *ἁ*)ΛΕΚΤΡΑ antiquitus scriptum permutationi in *Ἠλέκτρα* quam maxime obnoxium erat.

Atque etiam, quare Τ ad ΟΝ (ex ΘΛΙ) irrepserit, causae afferri possunt. Primum *ον* sensu cassum et hiatus in *Ἠλέκτρα ον* vitandus fuit, qui facillime correctione *τὸν* tolli potuit, deinde coniunctio verborum *τὸν ἀεὶ* tam frequens est, ut librario inscio pro *ον ἀεὶ* sub acumen stili venire potuerit, denique in L formae articuli omnino saepius irrepserunt; cf. El. 422, ubi ceteri libri recte *ᾧ*, L *τῷ* habet, O. C. 35 Elmsleius *ὧν* pro *τῶν*, Trach. 47 Dindorfius *ἥν* pro *τήν* restituit.

Extremum est, ut similia de conubio vel infausto et misero vel maculato lamentationis exempla proferam. Quae passim reperiuntur. Praeter exempla, quae iam supra ascripsi, exhibent verba verbis ipsis *ἁ λέκτρ' ἄθλι' ἀεὶ πατρὸς δειλαία στενάχουσ'* similia in O. R. v. 1249 *γοᾶτο δ' εὐνάς, ἔνθα δύστηνος κτέ.*, in Ant. v. 862 *ἰὼ ματρῷαι λέκτρων ἆται,* in O. C. 525 sq. *κακᾷ μ' εὐνᾷ πόλις οὐδὲν ἴδριν | γάμων ἐνέδησεν ἄτᾳ,* in Trach. v. 791 sq. *τὸ δυσπάρευνον λέκτρον ἐνδατούμενος | σοῦ τῆς ταλαίνης καὶ τὸν Οἰνέως γάμον,* in Lycophrontis Alex. v. 411 sq. *οὑμὸς ἔσται κἀχερουσίαν πάρα | ῥηγμῖνα δαρὸν ἐστεναγμένος γάμος,* in Aesch. Ag. v. 408 sq. *πολλὰ δ' ἔστενον | ... δόμων προφῆται .. ἰὼ λέχος καὶ στίβοι φιλάνορες,* in Eur. Androm. v. 1186 sq. *ὦ γάμος, ὦ γάμος, ὃς τάδε δώματα καὶ πόλιν ὤλεσας.* Ac ne illud quidem neglegendum est *ἁ λέκτρ' ἄθλι' ἀεὶ πατρὸς στενάχουσ'* plus habere nervorum quam illa parum definita *ἁ παῖς, πότμον* sive *ἁ παῖς, οἶτον ἀεὶ πατρὸς στεν.*, quae alii coniecerunt.

Cum adhuc eos locos tractaverim, qui facilius mendi coarguerentur quam emendarentur, nunc in Oedipo Rege quaesiturus sum de eis versibus, quorum difficultates in enarrationis potius quam in emendationis rationem cadere plures doctorum arbitrantur.

[1]) Adnot. crit. ed. Mekleri p. 43.

[2]) Cf. Or. v. 963 sq. *ἁ ... Περσέφασσα καλλίπαις θεά* — *ἁ* cod. Marc. 471, *ἡ* superscripsit manus (falso) correctrix, *ἡ* cod. Laurent. 32, 2. Eur. fab. ed. Prinzii et Wecklini vol. III, pars III. Lips. 1900, p. 44.

Ordiamur in Oedipo Rege ab v. 596 sq.

νῦν πᾶσι χαίρω, νῦν με πᾶς ἀσπάζεται,
νῦν οἱ σέθεν χρῄζοντες αἰκάλλουσί[1] με.

Hic in verborum πᾶσι χαίρω obscuritate vehementer offendo. Quare enim aut quomodo 'gaudeat omnibus' Creon, nihil indicii usquam invenitur. Enarratorum hunc locum defendere studentium alius aliud gaudium Creonti tribuit. Dindorfius omnibus eum gaudere dicit, quia nemo ei inimicus est; at, si quis me non odit, idcirca non est, quod eo homine gaudeam. Licenter alii πᾶσι χαίρω vim habere 'omnes me salutant' = πᾶς χαίρειν με λέγει opinantur. Hanc interpretationem incertam esse iam declaravit Heimsoethius[2]: „Man fühlt sich wohl vom Sinn gezwungen, πᾶσι χαίρω als 'ab omnibus salutor', wie Meineke übersetzt, zu nehmen; auch ich habe es immer so verstanden ... ohne mir zu verhehlen, dass etwas Bestimmtes über die Berechtigung zu dieser Deutung doch nicht vorliegt und ohne mich daher des Verdachtes ganz entschlagen zu können, dass in den schönklingenden Worten doch nur ein Schreibfehler vorliege und das andere Wort der bekannten Verbindung dagestanden habe νῦν πᾶς φιλεῖ με[3]), νῦν με πᾶς ἀσπάζεται". Alii verba πᾶσι χαίρω pro πᾶσιν ἡδέως ὁμιλῶ accipere posse sibi videntur et comparant Xen. Hier. 6, 2 ξυνῆν ἡλικιώταις ἡδόμενος ἡδομένοις ἐμοί, 3 νῦν δὲ (ἐπειδὴ τύραννος ἐγενόμην) ἀπεστέρημαι μὲν τῶν ἡδομένων ἐμοί, ἀπεστέρημαι δ' αὐτὸς τοῦ ἡδέως ἐκείνοις ὁμιλεῖν. Ac primum hoc loco nihil obscuritatis verborum est: apte agitur de mutuo gaudio, quod inest in aequalium familiaritate, deinde, si quis ἡδομένοις ἐμοί pro ἡδέως συνοῦσιν ἐμοί accipit, velim concedat loco Xenophonteo verbum ἥδεσθαι significationem familiariter utendi ex breviloquentiae noto genere habere propter verbum praecedens ξυνῆν; loco Sophocleo verbum χαίρω sic accipi posse nego, quia hic non verbum idem significans quod ξυνεῖναι in eadem sententia positum est.

Ipsa diversitate magna interpretationum earumque incertarum, quam nihil definiti locutione πᾶσι χαίρω contineatur, satis ostenditur.

Sed iam non defuerunt, quibus haec verba vix sana viderentur. Nauckius quidem itemque Ewaldus Bruhnius dubitanter ea ita explicant, ut ea significare videri 'omnibus familiariter utor' dicant. Mekler haec verba 'vix integra' esse declarat. Verumtamen unus modo adhuc medelam huic loco afferre conatus esse

[1]) αἰκάλλουσι pro ἐκκαλοῦσι Musgravio praeeunte L. Dindorfius restituit.
[2]) Kritische Studien zu den griechischen Tragikern, Bonn 1865, p. 226 sq.
[3]) Haec coniectura codicis vestigiis minime insistit.

videtur. Unam enim inveni coniecturam Heimsoethii, quam supra adnotavi.

Alia vero verba in oratione Creontis atque νῦν πᾶσι χαίρω desideramus, si orationis consilium consideramus. Creon oratione sua eam regis criminationem, ut regnum affectet, diluere conatur. Demonstrat igitur nullam sibi causam esse regem regno expellendi. Nam bona regno propria se iam habere, potentiam et auctoritatem. Potentia regia se iam uti, quod condicionem condicioni regis similem habeat (v. 581) et quasi per Oedipum imperet (v. 586, 588, 590). Auctoritate regia se frui ex eo cognosci posse, quod omnes se condicionem regiam habere existiment ob eamque causam omnes se salutent, omnes se adulentur.

Haec tam apta complexio sententiarum restituitur facili mutatione:

νῦν πᾶσιν ἄρχω, νῦν με πᾶς ἀσπάζεται,
νῦν οἱ σέθεν χρῄζοντες αἰκάλλουσί με·
τὸ γὰρ τυχεῖν αὐτοῖσι πᾶν ἐνταῦθ' ἔνι.

νῦν πᾶσιν ἄρχω vertendum est: 'nunc omnium iudicio „nach dem Urteil, in den Augen aller" (de eiusmodi dativo infra dicetur) condicionem regiam habeo' i. e. omnes me potentia regia esse iudicant, apud omnes auctoritate regia floreo.

Creon, qui in v. 591 εἰ δ' αὐτὸς ἦρχον κτἑ. ipsum regnare negavit, in v. 592 sq. πῶς δῆτ' ἐμοὶ τυραννὶς ἡδίων ἔχειν | ἀρχῆς ἀλύπου καὶ δυναστείας ἔφυ; imperium et principatum molestiis vacuum se habere dixit, hoc ipso νῦν πᾶσιν ἄρχω verba praecedentia condicionemque suam clara in luce collocat: rex non sum, sed potentiam regiam omnium iudicio habeo. Itemque accommodate verba νῦν πᾶσιν ἄρχω verbis sequentibus praecedunt, quia causam afferunt, quare cives Creontis gratiam sibi reconciliare studeant.

De ἄρχω in χαίρω permutato cf. Doederlini emendationem v. 313 in Aesch. Prom. ὄχλον pro χόλον et Ahrensii in Ag. 1368 θυμοῦσθαι pro μυθοῦσθαι, apud Sophoclem ipsum Trach. 108 τρέφουσαν ex Casauboni emendatione pro φέρουσαν, Ai. 292 βαί': αἶβά L pr., Ant. 355 ἀγοράς a Meklero ex ὀργάς restitutum, in O. R. v. 99 πόρος invenit F. G. Schmidtius pro τρόπος, ibd. v. 212 μονόστολον L pr. pro ὁμόστολον. Dativus autem, quo hominum iudicium exprimitur, cum apud alios scriptores tum apud Sophoclem nequaquam rarus est[1]). Primum dativus πᾶσιν vim habet 'omnium iudicio' in O. R. 40 νῦν τ', ὦ κράτιστον πᾶσιν Οἰδίπου κάρα, O. C. 1446 ἀνάξιαι γὰρ πᾶσίν ἐστε δυστυχεῖν, Ai. 598 Σαλαμὶς πᾶσιν περίφαντος ἀεί; Aristoph. Av. 445 πᾶσι νικᾶν τοῖς κριταῖς καὶ τοῖς θεαταῖς πᾶσιν.

[1]) Cf. Kühner-Blass, Griech. Gr. § 423, 18, b.

Deinde adnoto alios eiusmodi dativos:
O. R. 616 *καλῶς ἔλεξεν εὐλαβουμένῳ πεσεῖν,*
Trach. 1071 *οἴκτιρόν τ' ἐμὲ πολλοῖσιν οἰκτρόν,*
Ant. 904 *καίτοι σ' ἐγὼ 'τίμησα τοῖς φρονοῦσιν εὖ.*

Oedipus Rex v. 1478 sq.

ἀλλ' εὐτυχοίης, καί σε τῆσδε τῆς ὁδοῦ
δαίμων ἄμεινον ἢ 'μὲ φρουρήσας τύχοι.

Huius loci genetivus *τῆσδε τῆς ὁδοῦ* et vitiosus et languidus est. Primum non habet vocabulum, unde pendeat. Neque enim hic genetivus, cum 'genetivus pretii' a multis habetur, offensione liberatur. An non etiam eiusmodi genetivi vocabulum, unde pendeant, flagitant? Censeo autem ad verbum *φρουρεῖν* 'custodire' vix genetivum pretii accedere posse, saltem non tam miri pretii. Neque genetivus defendi [1]) potest comparatione loci specie similis, v. 1505 sq. in Oed. Col. *ἄναξ, ποθοῦντι προὐφάνης, καί σοι θεῶν | τύχην τις ἐσθλὴν τῆσδ' ἔθηκε τῆς ὁδοῦ.* Nihil enim obstat, quominus hic *τῆσδε τ. ὁ.* cum substantivo *τύχην* coniungamus. Nec genetivos genetivo, de quo disputamus, vere similes attulit Iebbius, qui comparat El. 626 *θράσους τοῦδ' οὐκ ἀλύξεις,* Eur. Or. 1407 *ἔρροι τᾶς ἀσύχου προνοίας.* Namque *θράσους τοῦδ'* breviter dictum pro poena huius audaciae ab verbo *ἀλύσκειν* pendet, ut Ant. 488 sq. *αὐτὴ δὲ χἠ ξύναιμος οὐκ ἀλύξετον | μόρου κακίστου*; genetivus autem *τᾶς ἀσύχου προνοίας* pertinere videtur ad id genetivorum genus, quod in exclamationibus et interiectionibus, ut *φεῦ*, et verbis, quibus indignatio iraque exprimitur, positum esse solet [2]). Neque similis est genetivus in O. R. v. 47 sq. *ὡς σὲ νῦν μὲν ἥδε γῆ | σωτῆρα κλῄζει τῆς πάρος προθυμίας,* qui ita explicari potest, ut verbis *σωτῆρα κλῄζει* laus quaedam et admiratio contineantur; verba autem significationem laudandi admirandique habentia cum genetivo construi possunt, ut El. 1027 *ζηλῶ σε τοῦ νοῦ,* Eur. Phoen. 1683 *αἰνῶ σε τῆς προθυμίας.* Denique reicienda est Bellermanni defensio huius genetivi, qui existimare posse sibi videtur *φρουρεῖν τῆσδε τῆς ὁδοῦ* dictum esse ut *εὐδαίμων τῶν λόγων* Plat. Phaed. 58 E vel Eur. Iph. Taur. 1078 *ὄναισθε μύθων καὶ γένοισθ' εὐδαίμονες.* At ne ita quidem

[1]) Ut a Wundero.
[2]) Cf. Kühner-Blass, Griech. Gr. § 420, 1, a und b.

genetivus *τῆσδε τῆς ὁδοῦ* defendi potest, quia non coniunctus est cum *εὐτυχοίης.*

Quae cum ita sint, hunc genetivum vix ullius exempli similitudine satis confirmari posse, sed ratione grammatica carere censeo. Recte dixit Nauckius pro *τῆσδε τῆς ὁδοῦ* saltem *ἀντὶ τῆσδε τ. ὁ.* requirendum esse. Idem bene iudicavit haec verba a sententiarum nexu alienissima esse; aliud desiderari infra equidem ostendam. Wecklinus in textum recepit *τῆσδ' ὁδοῦ χάριν,* quod Kennedy coniecit.

Accedit, ut verba *τῆσδε τῆς ὁδοῦ* ambigua et parum definita sint. Nam in dubio relinquunt, utrum ad Creontem spectent an ad Oedipi filias. Hac de re alii aliter iudicant [1]).

Quae omnia cum perpendissem, coniecturae hic locum esse mihi persuasi. Quamquam non contemno neque Caroli Schnellii coniecturam pro *ὁδοῦ* substituentis *πόλεως* [2]) neque Kennedyi coniecturam *τῆσδ' ὁδοῦ χάριν,* quam a Wecklino receptam esse supra dixi, tamen aut ex *πόλεως* ortum esse *ὁδοῦ* aut *χάριν* excidisse verbisque *τῆσδε τῆς ὁδοῦ* versum expletum esse parum probabile est aliamque sententiam praestare iam demonstrabo. Ac versus, de quibus disputamus, vota Oedipi continent ex terra discessuri. Consentaneum autem est illum, qui numquam non imaginem exhibuit regis saluti patriae consulentis (cf. magnificam illam vocem in v. 443 *ἀλλ' εἰ πόλιν τήνδ' ἐξέσωσ', οὔ μοι μέλει*), illum igitur discessurum terrae suae mentionem facere atque optare, ut patriam quoque numen in futurum tueatur. Accedit, quod cum alias tum in eiusmodi votis r e x e t t e r r a c o n i u n g i s o l e n t. Nimirum poëtae utriusque salutem quasi vinculo quodam contineri senserunt. Cf. imprimis votum Oedipi ipsius in O. C. v. 1124 sq. *καί σοι θεοὶ πόροιεν ὡς ἐγὼ θέλω, α ὐ τ ῷ τ ε κ α ὶ γ ῇ τ ῇ δ'.* Plus vero Oedipo causae fuit discessuro votis prosequendi cives suae terrae. Cf. etiam v. 1553 sq. in O. C. *ἀλλά, φίλτατε ξένων, | αὐτός τε χώρα θ' ἥδε . . . εὐδαίμονες γένοισθε,* Eur. Suppl. v. 3 sq. *εὐδαιμονεῖν με Θησέα τε παῖδ' ἐμὸν | πόλιν τ' Ἀθηνῶν τήν τε Πιτθέως χθόνα,* ibd. 1181 *χαῖρ'· ἄξιος γὰρ καὶ σὺ καὶ πόλις σέθεν.* Quamobrem arbitror in *τῆσδε τῆς (ὁδοῦ)* latere locutionem *τ ή ν δ ε γ ῆ ν.* Ea locutione significante vel terram patriam vel civitatem vix quidquam usitatius est; usurpatur in O. R. 47, 54, 104, 236, 353, 1043, 1223. Formae substantivi *γῇ* et articuli feminini propter simili-

[1]) Wecklinus adnotat: „*ὁδός* der von Kreon veranlasste Gang der Töchter", Ewaldus Bruhnius: „Wenn die Lesart richtig ist, muss Kreon während der Rede ins Haus gegangen sein".
[2]) Jahrbücher für Philol. 111 p. 478.

tudinem litterarum Γ et T saepe in libris commutatae sunt. In eiusdem fab. v. 49 ΓΗC pro ΤΗC scriptum est, item in Oed. Col. 865 γῆς pro τῆς, ibd. 447 κοίτης τ' ἄδειαν (a Wecklino emendatum) pro καὶ γῆς ἄδειαν[1]). Nec vero potuit ὁδοῦ (ΟΔΟΥ) non facile fluere ex ὁμοῦ (ΟΜΟΥ). Molestus autem ille genetivus ortus est ex errore accommodationis verborum ΤΗΝΔΕΤΗΝ (ex ΓΗΝ) ad ὁδοῦ (ex ΟΜΟΥ)[2]). Tum θ' particula, qua verba τήνδε γῆν cum καί σε coniuncta erant, omitti debuit, nisi iam antea, ut saepe, interciderat praesertim littera simillima Ο sequente.

Quas ob causas poëtae reddendum puto:

ἀλλ' εὐτυχοίης καί σε τήνδε γῆν θ' ὁμοῦ
δαίμων ἄμεινον ἢ 'μὲ φρουρήσας τύχοι.

'Felix sis vel potius vale[3]) atque te unaque hanc terram i. e. regnum tuum in hac terra numen melius quam me tueatur'.

Sors Creontis, regis novi[4]), et Thebarum natura quodammodo coniuncta, ut felicior numine custode quam fortuna sua regnumque suum fiat, optat abscessurus ex patria Oedipus Creontis benevolentia commotus idemque acerba fati sui recordatione adductus; simul significat poëta etiam regno amisso salutem patriae illi curae cordique esse, quod egregium ingenii Oedipi documentum corruptela τῆσδε τῆς ὁδοῦ periit. Etenim voto καί σε τῆσδε τῆς ὁδοῦ | δαίμων ἄμεινον ἢ 'μὲ φρουρήσας τύχοι Oedipus Creontem tantum privatum, non eundem successorem regni prosequitur.

Reliquum est, ut ne ὁμοῦ quidem otiosum esse moneam. Vocabulo enim ὁμοῦ hic adsignificatur salutis regis et civitatis alterius ex altera manantis coniunctio. Quod regi accidat, hoc ad cives quoque pertinere luculento documento est Oedipus ipse, quo tutela divina destituto Thebae simul in calamitatem incurrerunt. Calamitatem regis et civitatis quodammodo coniunctam esse adsignificatur illo ὁμοῦ in eadem fab. v. 63 sq. ἡ δ' ἐμὴ | ψυχὴ πόλιν

[1]) Idem mendum invenitur saepius in fabulis Aeschyleis: bis in Choeph. 352 διαποντίου γᾶς Turnebus pro διαποντιουντας, 339 Γᾶ χθονίων τε τιμαί Ahrensius pro ταχθονίων τε τιμαι, Eumen. 389 γῆν καταφθατουμένη pro τὴν καταφθατουμένην Stanleyus.

[2]) Plurima exempla permutationis casuum pronominis ὅδε natae ex errore accommodationis ad vocabulum vel praecedens vel sequens collegit Wecklinus: Beiträge zur Kritik des Euripides; Sitzungsberichte der philos. philol. Klasse der k. bayr. Akad. d. Wiss. 1895, Heft IV p. 480—83.

[3]) Sic Bruhnius coll. v. 1068 in Aesch. Cho. et v. 1153 in Eur. Alc. recte vertit.

[4]) Cf. v. 1416 sqq. *ἀλλ' ὧν ἐπαιτεῖς εἰς δέον πάρεσθ' ὅδε*
Κρέων τὸ πράσσειν καὶ τὸ βουλεύειν, ἐπεὶ
χώρας λέλειπται μοῦνος ἀντὶ σοῦ φύλαξ.

τε κἀμὲ καί σ' ὁμοῦ στένει. θ' ὁμοῦ saepius in fabulis Sophocleis invenitur, ut τῆς κασιγνήτης θ' ὁμοῦ El. 555, αἰσχύνη θ' ὁμοῦ Ai. 1079, Αἰγίσθῳ θ' ὁμοῦ El. 667, 1416, σφῷν θ' ὁμοῦ O. R. 1495.

Oedipus Coloneus v. 113 sq.

σιγήσομαί τε καὶ σύ μ' ἐξ ὁδοῦ πόδα
κρύψον κατ' ἄλσος κτἑ.

Verba σύ μ' ἐξ ὁδοῦ πόδα κρύψον neque defensionem probabilem neque eam emendationem, quae omnium tulerit consensum, nancta sunt. Ac difficultas quidem huius loci non posita est in constructione verbi cum accusativo duplici, quae accipi potest pro σχῆμα καθ' ὅλον καὶ κατὰ μέρος. At, ut ex gr. Graecum est ἄγαγέ με πόδα, sic κρύψον με πόδα, quia κρύψον πόδα per se ipsum pravum est, ineptum iudicandum est.

Iure igitur critici πόδα corruptum esse rati corrigere studuerunt. Receptam esse a multis video H. Keckii coniecturam ἐκποδὼν ὁδοῦ[1]), quam ceteris praestare concedo. Sed illa mutatione lenius probabiliusque remedium quoddam, cum litteras ποδα sanas esse demonstrare possim, huic loco adhiberi posse ostendam.

Priusquam equidem ad coniciendum aggredior, eam proferam observationem, qua, quam penitus artes spectatorum animos permovendi noverit Sophocles, animadvertere possimus. Is haud ignarus, quantopere corporis vel dolores vel vitia, praesertim cum eis magni viri vexarentur, spectatorum excitarent misericordiam, non destitit, ut in Philocteta eorum oculos animosque ad pedis ulcus convertere, sic in Oedipo Coloneo verbis variis exprimere regis miserrimi caecitatem, propter quam penderet ex filia duce. Oedipo igitur in omnibus corporis motibus, sive aliquo se confert, sive alicubi considit, auxilium filiae opus esse dicitur. Cf. v. 21, 173, 495, 1588. Unum ascribam locum, ubi miseriae copiae copia verborum quodammodo respondet, v. 500 sqq. μόνον δέ με | μὴ λείπετ'· οὐ γὰρ ἂν σθένοι τοὐμὸν δέμας | ἔρημον ἕρπειν οὐδ' ὑφηγητοῦ δίχα.

Praecipue autem in versu, de quo quaerimus, ratio sententiarum requirit mentionem auxilii filiae necessarii, quod Oedipus sede sua discessurus in nemus se abscondere cogitur, quodque con-

[1]) H. Keck, Disput. Soph. Schleswig 1865, p. 19.

sentaneum est eum paulo ante (v. 109 sq.) calamitatem suam lamentatum conscientiam necessitatis auxilii in animo excitatam, cum duce ei opus sit, verbo significare.

Haec atque etiam correctionem coniunctionis particularum *τε — καί*, quae inter *σιγήσομαι* et *κρύψον* parum apte intercedit — Nauckius quidem in appendice crit. editionis pro *τε* proposuit *τοι* similemque ob causam in v. 494 ibd. pro *τε* particulam *γε*, Bergkius se malle scribere dixit pro *τε* in v. 113 *'γώ*[1]) — haec igitur omnia consequemur, si pro ΤЄ ΚΑΙ CΥ scribemus ΚΑΙ CΥ ΓЄ et mutilatum ΠΟΔΑ in ΠΟΔΑΓЄ producemus.

Scribendum igitur:

σιγήσομαι καὶ σύ γε[2]), *ποδαγέ, μ' ἐξ ὁδοῦ*
κρύψον κατ' ἄλσος

'tacebo atque tu, pedum meorum dux, me ex via in lucum abde'.

Versum sic me restituisse moneo recordatione adductum v. 1715 in Eur. Phoen., ubi item adhortatur Oedipus Antigonam:

σὺ δ' ἀθλίου γενοῦ ποδαγὸς ἀθλία.

Cf. etiam ibd. v. 1616

τίς ἡγεμών μοι ποδὸς ὁμαρτήσει τυφλοῦ;

In Oed. Col. cf. imprimis v. 347 sq. *ἀεὶ μεθ' ἡμῶν δύσμορος πλανωμένη | γερονταγωγεῖ.*

Atque hoc in promptu est vocabulum *ποδαγός* in ducem caeci hominis, cum significationem habeat 'pedum ductor, qui pedibus praeeundo viam monstrat'[3]), valde convenire. Praestatque *ποδαγός* participio, ut *ἄγουσα*, quia hoc significationem semel ducendi, illud substantivum identidem ducendi habet. Coniunctio verbi *κρύψον* cum *ἐξ ὁδοῦ*, cum ex restituto substantivo *ποδαγέ* subintellegatur participium *ἄγουσα*, facillima fit.

Praeterea origo corruptelae in aperto est. Etenim quam facile in ΠΟΔΑΓЄ librarius legere potuit *ποδα* + *γε*, praesertim cum *ποδαγέ* forma vocabuli rarissimi sit?[4])

Ubi semel *ποδαγε* divisum est *ποδα* + *γε*, *γε* inutile visum consulto omitti potuit. Accedit, quod fortuito ΓЄ ante ΜЄ facile intercidere potuit. Quas ob causas totum locum omisso *γέ* in *ποδαγέ* corruptum esse veri simile est. Syllaba *γέ* autem omissa duae difficultates metricae natae erant: *σιγήσομαι καὶ σύγε πόδα μ' ἐξ ὁδοῦ.*

---

[1]) Soph. trag. ed. Bergk, Lips. 1856, adnot. crit. p. 50.

[2]) De metro cf. Eur. Bacch. v. 951 *μὴ σύ γε τὰ Νυμφῶν διολέσῃς ἱδρύματα.*

[3]) Sic vertit Henr. Stephanus in Thes. Graecae linguae s. v. *ποδαγός*.

[4]) Rara vocabula corrupta esse documento est ex. gr. v. 228 lectio in L *οὐδενί μοι ῥαιδία* cum correctione *οὐδενὶ μοῖραι δία* pro *οὐδενὶ μοιριδία*.

Vitium positum in *πόδα* simpliciter sanatum est transpositione in finem *μ' ἐξ ὁδοῦ πόδα*. *καὶ σύ* ΓЄ autem abiit in ΤЄ *καὶ σύ* et propter metri necessitatem et quod CΥΓЄ iam antea facillime in CΥΤЄ corrumpi potuerat. Cf. in eadem fab. v. 448, ubi L falso *σύ γε*, ceteri libri recte *σύ τε* habent. Omnino ΓЄ et ΤЄ sexcenties in L permutata esse Wecklinus dixit in Arte Soph. emend. p. 45. Sed de origine corruptelae satis dictum est.

Illud addam *σύ γε* pro *σύ* Sophoclem saepe (undecies, vide Lex. Soph. Ellendtii) usurpasse. *σύ γε* hoc loco non solum per se idoneum est, sed etiam eo, quod *σύ* appositione *ποδαγέ* sequente maiorem adsequitur vim.

Oedipus Coloneus v. 841 sq.

πρόβαθ' ὧδε, βᾶτε βᾶτ', ἔντοποι·
πόλις ἐναίρεται, πόλις ἐμά, σθένει· πρόβαθ' ὧδέ μοι.

Haec verba, cum plus uno nomine suspecta sint, sic Sophoclem scripsisse putare vix ausim. Ac primum quidem hoc loco *σθένει*, nisi pro vi alci. illata (*βίᾳ*) accipi potest, sic nude dici nequit, *σθένει* autem pro *βίᾳ* dici potuisse parum probabile videtur. Accedit, ut illud molestum sit *σθένει* a verbo *ἐναίρεται* seiunctum esse. Quid? cum dativus *σθένει* a *σθένει* forma verbi *σθένω* nihil differat, nonne poëta cavit, ne auditores *σθένει* ad verba praecedentia (*πόλις ἐμὰ σθένει*) prima auditione falso referrent? Denique pronomen *ἐμά* prorsus inutile est.

Nec mihi primo, sed iam aliis haec verba vix sana visa sunt. Gleditschius coniecit *πόλις ἀμαχανεῖ*[1]). Litteras traditas propius sequuntur coniecturae et F. G. Schmidtii *πόλις ἐμὰ φθίνει*[1]) et Wecklini *πόλις ἔτ' οὐ σθένει*. His coniecturis ea sententia, quae iam verbis *πόλις ἐναίρεται* expressa est, prope eadem repetitur. Aliquid gravius idemque contrarium verbis *πόλις ἐναίρεται* una littera deleta, una addita restituitur hac coniectura:

πρόβαθ' ὧδέ μοι, βᾶτε βᾶτ', ἔντοποι·
πόλις ἐναίρεται, πολέμιος σθένει· πρόβαθ' ὧδέ μοι.

'urbs infringitur, hostis (scil. Creon) valet'.

Chorus senum cives Coloneos arcessit, quod se Creonti eiusque comitibus, qui se pro hostibus gerunt, inferiorem esse sentit.

---

[1]) Adnot. crit. ed. Mekleri p. 50; *πόλις ἐμὰ φθίνει* Heimsoethius quoque coniecit (Krit. Stud. z. d. griech. Tragikern, Bonn 1865, p. 47).

Creontem, quia vim adhibuit, chorus iure hostem appellare potest; cf. v. 835 *τάχ' εἰς βάσανον εἶ χερῶν* et Creontis verba v. 837 *πόλει μαχεῖ γάρ, εἴ τι πημανεῖς ἐμέ.* Theseus vero, simulatque, quod factum est, audivit, vi atque armis Oedipi filias se reducturum affirmat.

Quod ad orationem verborum attinet, contrarie inter sese referuntur *πόλις* et *πολέμιος*, *ἐναίρεται* et *σθένει*, atque sententiae breves et concisae hominum clamantium auxiliumque petentium propriae sunt.

Reliquum est, ut, quomodo *πολέμιος* in *πόλις ἐμά* abierit, ostendam. Recordatione vicini vocabuli *πόλις* librarius insciens adductus est, ut scriberet si non ΠΟΛΙϹЄΜΑ pro ΠΟΛЄΜΙΟϹ, at certe ΠΟΛЄΜΙϹ, quod mendum postea syllaba deficiente correctio *πόλις ἐμά* secuta est[1]). Similiter in O. C. 320 *σημαίνει* propter *σημαίνει* sequens pro *σαίνει* in L scriptum est, in Trach. 331 propter *λύπην* in eodem versu praecedens genuina vox *διπλῆν* (emendatio F. G. Schmidtii) in *λύπην* abiit, ibd. 834 *ὃν τέκετο θάνατος, ἔτρεφε δ' αἰόλος δράκων* Lobeckii emendatio *ἔτρεφε* est; L habet *ἔτεκε* propter *τέκετο*. Apud Xenophontem hist. gr. VI, 5, 3 'pro *πάλιν* (*ἐψηφίσαντο μίαν πάλιν τὴν Μαντίνειαν ποιεῖν καὶ τειχίζειν τὴν πόλιν*) scriptum est *πόλιν* cum vitiosa eiusdem vocis repetitione' Madvigii Advers. crit. vol. I, p. 19.

A fabulis, quarum argumentum Oedipodis et in regno et in exsilio fortuna est, transeamus ad tragoediam Antigonam, cuius praeter v. 86 duos versus mihi delegi difficillimos tractandos, v. 4 et v. 613.

Antigona v. 4 sqq.

οὐδὲν γὰρ οὔτ' ἀλγεινὸν οὔτ' ἄτης ἄτερ
οὔτ' αἰσχρὸν οὔτ' ἄτιμόν ἐσθ', ὁποῖον οὐ
τῶν σῶν τε κἀμῶν οὐκ ὄπωπ' ἐγὼ κακῶν.

Pro verbo *ἄτερ* totius loci cohaerentiam flagitare vel verbum contrarium vel *οὐκ ἄτερ* docti consentiunt. De verbis *ἄτης ἄτερ* etsi multa a multis disputata, multa pro iis coniecta sunt, tamen

[1]) 'Reputanti, quae quis verba inter scribendum legerit, ea ei ad tempus quasi in memoria haerere, mirum non videbitur saepe in aliquem locum corrumpendum valuisse vicinum vocabulum' ait Wecklinus 'menda vicinorum vocabulorum gratia commissa' in Arte Soph. em. colligens (p. 69 sq.).

omnia adhuc pro illo *ἄτης ἄτερ* substituta licentia quadam non carent. Sive enim *ἀτήσιμον* (ceterum vocabulum nullius fidei) cum Dindorfio, sive *ἄτης γέμον* cum Hermanno, sive *ἄτην φέρον* cum Brunckio, sive multa alia cum aliis substitueris, non habebis, unde repetas corruptelae originem. De eiusmodi coniecturis recte Iebbius in appendice ed. Antig. (p. 245): 'No such suggestion could have any critical value, unless it also showed, how *ἄτης ἄτερ* might have arisen'.

Nondum vero emendationem loci inventam esse eo maxime cernitur, quod vitium in *ἄτης ἄτερ* latens nonnulli docti tribuere coeperunt poëtae ipsi. Cuius enarrationis princeps fuit Bellermannus. Is verba *ἄτης ἄτερ* ita sana esse dicit, ut poëta multitudine negationum ipse deceptus sit. „Meine Erklärung, wonach die Negationsverwirrung einem Versehen des Dichters selbst zur Last fällt, die ich zuerst in der Zeitschr. f. d. G. W. 1872, S. 602 aufgestellt habe, ist auch in Weckleins (1874, 1897), G. Kerns (1883), Muffs (1896), Antigone-Ausgaben, von Fr. Polle, Zeitschr. f. d. G. W. 1878, S. 641 u. a. angenommen worden' (App. crit. ed. VI. Antigonae, Lips. 1900, p. 150).

Errare humanum esse scio, summopere autem cavendum arbitror, ne poëtae error obtrudatur; Sophoclem vero neglegentiae eiusmodi absolvendum esse contendo. Neque enim ullum exemplum talis vitii orationis exstat in fabulis cum tragicorum tum Sophoclis. Quid? quod Bellermannus se in universis litteris Graecis exemplum eiusmodi confusionis negationum invenisse nullum ipse non infitiatur? „Ein Beleg aus einem griechischen Schriftsteller ist mir nicht bekannt" (app. crit. ibd.). Quae autem ille eiusmodi vitii orationis exempla affert, pauca in Latinis litteris, in libris scriptorum huius memoriae plura, ea levis esse momenti mihi eo ipso videntur, quod ad unum omnia inveniuntur in libris conscriptis oratione soluta. Quanto enim facilius scriptor, qui utitur prosa oratione, quam poëta, quippe qui ipsa lege et necessitate metri diligentiam in eligendis verbis adhibere cogatur, eiusmodi neglegentiae culpam contrahere potest! Quare nequaquam miror in copia exemplorum confusionis negationum, quam, ut summum poëtam erroris convincere posset, collegit Bellermannus, deesse ea exempla, quibus etiam in libris oratione vincta conscriptis illa vitia exstare demonstretur. Nihil igitur magis dubium esse Bellermanni illa opinione, ut Sophocles ipse, quid res postularet, illo loco non viderit, mihi quidem est persuasum. Quamquam illam ita haud spernendam esse censeo, ut veri simile sit non Sophoclem ipsum, sed quendam hunc versum, quem videret corruptum,

corrigendi studiosum negationum copia in corrigendo esse deceptum. Exposita igitur erroribus scribendi fuisse videntur verba genuina. Meo quidem iudicio in illo versu corruptelae antiquae[1]) latent eoque minus apparent, quod correctiones veterum eas secutae sunt. Quae cum ita sint, certa huius versus emendatio quam difficillima est. Desinant autem docti vitium in *ἄτης ἄτερ* Sophocli ipsi tribuere, tribuant potius vel librario vel grammatico cuidam versum corruptum corrigere studenti! Quamquam vix ullius loci emendationem difficiliorem esse non ignoro, tamen, ut, quae supra dixi, coniectura illustrem, coniecturam meam comprimere nolo. Possum enim in illo versu restituere verba, quae corruptelae obnoxia fuisse primo aspectu videas. Atque etiam litteras varie temptatas *ἄτης ἄτερ* sanas esse putare licet, modo conicias:

ἄτης ἀτερ⟨ποῦς⟩ οὐδὲν οὔτ' ἀλγεινὸν⟨ὂν⟩
οὔτ' αἰσχρὸν οὔτ' ἄτιμον ἴσθ', ὁποῖον οὐ
τῶν σῶν τε κἀμῶν οὐκ ὄπωπ' ἐγὼ κακῶν.

'Calamitatis acerbae sive tristis nihil „unseligen Unheils (Fluches) nichts“ aut dolore afficiens aut turpe aut infame esse scito, quod non in meis ac tuis malis viderim'.

Primum, quae nova in hac coniectura sunt, num idonea sint, quaeramus, deinde corruptelae aperiamus originem. Ac primum quidem cum *ἄτης ἀτερποῦς οὐδὲν* cf. in eadem fab. v. 584 *οὐδὲν ἄτης*[2]). Apteque ponitur id verbum, quod maximi momenti est, *ἄτη* in versuum initio. Atque, cum *κακὰ ἀπ' Οἰδίπου* ab Antigona exponantur, asyndeton explicativum in v. 4 recte se habet idemque idoneum est ad Antigonae animum commotum significandum. Cf. ex. gr. v. 71 sqq. *κεῖνον δ' ἐγὼ*
θάψω. καλόν μοι τοῦτο ποιούσῃ θανεῖν.
φίλη μετ' αὐτοῦ κείσομαι, φίλου μέτα,
ὅσια πανουργήσασ'.

Deinde *ἴσθ'*, in quod omisso *ὂν* post *ἀλγεινὸν* abire *ἐσθ'* debuit, respondet *ἆρ' οἶσθ'* in v. 2. Omnino *ἴσθι* vel *σάφ' ἴσθι* vel *οἶδα* hic poëta saepe pro 'certe, haud dubie' usurpat, si quem quid confirmantem facit. Ex. gr. ex eadem fab. affero v. 473 sq. *ἀλλ' ἴσθι τοι τὰ σκλήρ' ἄγαν φρονήματα πίπτειν μάλιστα,* v. 477 sq. ibd.

[1]) Iam Didymo, docto illi Alexandrino, qui Ciceronis temporibus Suida teste erat, illud *ἄτης ἄτερ* notum erat: *Δίδυμός φησιν, ὅτι ἐν τούτοις τὸ ἄτης ἄτερ ἐναντίως συντέτακται τοῖς συμφραζομένοις* (scholia in Soph. trag. vetera, ed. P. Papageorgius, Lips. 1888, p. 213 sq.).

[2]) Cf. etiam O. R. 1284 sq. *κακῶν … οὐδέν ἐστ' ἀπόν,* Eur. Hel. 217 *τί γὰρ ἄπεστί σοι κακῶν;*

Postremo *ἀτερπής* aeque atque similia adiectiva, ut *ἄζηλος,* ut *ἄχαρις,* ut *δυστερπής,* ut *ἀχόρευτος* saepe positum est non simpliciter pro iniucundo, sed graviorem significationem acerbi, tristis habet[1]). Testatur Henr. Stephani Thes. Graecae l. s. v. *ἀτερπής* hoc adiectivum nonnullis locis cum poëtarum tum Homeri vim habere 'tristis, acerbus, funestus', quae epitheta quadrant ad *ἄτη*. Et locutionem ipsam quidem *ἄτης ἀτερποῦς* commendari moneo exemplorum similitudine, primum Hom. *Z* 284 sq. *εἰ κεῖνόν γε ἴδοιμι κατελθόντ' Ἄιδος εἴσω, | φαίην κε φρέν' ἀτέρπου ὀιζύος ἐκλελαθέσθαι,* deinde Aesch. Suppl. 683 sq. *νούσων δ' ἑσμὸς ἀπ' ἀστῶν ἵζοι κρατὸς ἀτερπής,* Cho. 277 *τείσειν μ' ἔχοντα πολλὰ δυστερπῆ κακά,* ibd. v. 30 sq. *ἀγελάστοις συμφοραῖς πεπληγμένων,* Herod. 1, 41 *ἐγώ σε συμφορῇ πεπληγμένον ἄχαρι … ἐκάθηρα;* 7, 190 *ἦν γάρ τις καὶ τοῦτον ἄχαρις συμφορὴ λυπεῦσα παιδοφόνος,* Soph. El. 1069 *ἀχόρευτα .. ὀνείδη,* Eur. Tro. 121 *ἄτας .. ἀχορεύτους.*

Praeterea comparari licet Hom. *λ,* 93 *ἀτερπέα χῶρον* (*ἀτ.* hic de Orco dictum est), Aesch. Prom. 31 *ἀτερπῆ πέτραν* (saxum, in quo Prometheus cruciatur; similiter ibd. 143 *ἄζηλος,* 402 *ἀμέγαρτος* usurpatur), Eur. El. 290 sqq. Orestes, cum ab Electra nuntium tristissimum acceperit, exclamat: *οἴμοι, τόδ' οἷον εἶπας … λέξον, δ' ἵν' εἰδὼς σῷ κασιγνήτῳ φέρω | λόγους ἀτερπεῖς.* Sophocles ipse aliquotiens adiectivum *ἄζηλος* vim habens 'miser' usurpat El. 1455 *ἄζηλος θέα,* Trach. 284 *ἐξ ὀλβίων ἄζηλον εὑροῦσαι βίον,* ibd. 745 *ἄζηλον ἔργον.*

Deinceps, ut erat propositum, quam exposita verba, quae genuina esse puto, fuerint corruptelae, ostendatur. Quam facile et syllaba *ὂν* in ΑΛΓЄΙΝΟΝΟΝ excidere et librarius *ἄτης ἄτερ* coniungere potuit! Fac autem semel menda exigua facta esse:
ΑΛΓЄΙΝΟΝ(ΟΝ)[2]) et ΑΤΗϹΑΤЄΡΤΟΥϹ[3]) vel ΑΤΗϹΑΤЄΡΠΟΥ-(ϹΟΥ)ΔЄΝ[4]) vel ΑΤΗϹΑΤЄΡ(ΠΟΥϹ)ΟΥΔЄΝ[5])

[1]) Quin etiam consuetudo Germanica similitudines exhibet, ut adiectivum „unselig“, quod minus significat 'non beatum reddens', quam 'tristissimum, funestum', ut substantivum „Unheil“, quod vim habet 'calamitas'.

[2]) Cf. Eur. Or. 230 *ἀνιαρὸν ὄν,* omissum est *ὂν* in *E* (cod. Paris. 2712), ed. Prinzii et Weckl. 1900, p. 15.

[3]) Τ et Π simillimae litterae persaepe commutatae sunt. In Antigona ipsa L in v. 367 *τοτὲ,* ceteri libri recte *ποτὲ* habent, in v. 786 *τ' ἀγρονόμοις* correctum est ex *πατρονόμοις;* Aesch. Ag. 822 *ὑπερκόπους* Heathius pro *ὑπερκότους,* ibd. 850 *πῆμ' ἀποστρέψαι νόσου* Porsonus pro *πήματος τρέψαι νόσον* emendavit. Praeterea articuli forma *τους* in *(ἀτερ)πους* librario obiecta est.

[4]) Similium syllabarum saepe in L una omissa est; cf. ex. gr. O. C. 886 *περῶσ' οἵδε δή* corruptum in *περῶσι δή,* ibd. 1218 *ὁπόταν τις* pro *ὅπου ὅταν τις* scriptum, Ant. 382 *ἀπάγουσι* pro *ἄγουσι* emendatio Boeckhii est. Cf. Wecklini Art. Soph. em. p. 30.

[5]) Per sententiae vim accidere potuit, ut tota syllaba *πους* ab librario festinanter *ἄτης ἄτερ οὐδὲν* coniungente omitteretur. Cf. Oed. Col. 1373: *κείνην*

concedes vix quemquam tum genuinam lectionem restituere scivisse ob id ipsum, quod *ἄτης ἄτερ οὐδέν* verborum coniunctio in promptu fuit. Nimirum veteres correctores versum corruptum atque mutilatum utcumque restituere atque explere studuerunt. Tum in corrigendo particula *γάρ* propter sententiam loci — asyndeton explicativum suum locum habere correctorem coniunctionem sententiarum desiderantem fugit — negatio *οὔτ'* ad *ἄτης ἄτερ* propter cetera *οὔτε* in promptu fuit. Quanto autem probabilius mihi videtur putare quendam, qui metrum corruptum correcturus erat, hoc *ἄτης ἄτερ* ab initio versus in finem mutilatum transposuisse[1]) quam opinari Sophoclem ipsum errasse! Non Sophocles in *οὐδὲν... οὔτ' ἄτης ἄτερ* multitudine negationum deceptus est, sed nescio quis, qui metrum et verba corrupta corrigere studebat.

Licet hic versus coniectura mea nondum persanatus sit, satis habebo, si Sophoclem ipsum vitii orationis accusandum non esse demonstrasse iudicabor.

Antigona v. 86 sq.

οἴμοι, καταύδα· πολλὸν ἐχθίων ἔσει
σιγῶσ', ἐὰν μὴ πᾶσι κηρύξῃς τάδε.

Hic quaerendum esse mihi visum est, nonne obtrudatur poëtae Attico Ionica forma *πολλόν*. Neque enim ullo alio loco apud tragicos invenitur *πολλόν* pro *πολύ*. Huius formae Homericae tantum genus masculinum unico apud tragicos loco reperitur Soph. Trach. 1196 *πολλὸν δ' ἄρσεν' ἐκτεμόνθ' ὁμοῦ | ἄγριον ἔλαιον*.

Hic si *πολλόν* sanum est, ex ea forma efficere non ausim etiam genere neutro formae Ionicae adiectivi *πολύς* adverbialiter dicto Sophoclem usum esse. Quid Nauckius? nonne Trach. v. 1195—98 Wunderum in Emend. p. 199 sq. recte suspectasse dixit[2])? Quid Froelichius? nonne illo loco *πολλὴν δ' ἄρσεν' ἀγρίαν ἐλαίαν* coniecit[2])?

ἐρεί⟨ψεις⟩ Turnebus pro *κείνην ἐρεῖ[τις]*, ibd. 1744 *ἐπεῖ⟨χε⟩* Wunderus pro *ἐπεί* restituit.

[1]) Contra a fine versus ad initium traductum est *καλόν* in Phil. 1304: *ἀλλ' οὔτ' ἐμοὶ καλὸν τοῦτ' ἔστιν οὔτε σοι* abire iussit Wakefieldus in *ἀλλ' οὔτ' ἐμοὶ τοῦτ' ἔστιν οὔτε σοι καλόν*.

[2]) Append. crit. ed. Nauckii p. 159.

Itaque *πολλόν* pro *πολύ* in v., de quo disputamus, ab emendata oratione alienum magnam movet suspicionem. Praeterea pro *πολλόν* conici potest, quod et gravius est et omnibus litteris servatis a ΠΟΛΛΟΝ repeti potest. Sed antea de coniecturis iam propositis dicendum erit. Ac Porsonus quidem scribi iussit *μᾶλλον ἐχθίων*, quod Wecklinus et Nauckius receperunt. Sed et *μᾶλλον* ante *ἐχθίων* prope otiosum est neque, quomodo *μᾶλλον* in *πολλόν* abierit, satis perspicuum est. Blaydesius coniecit *πολὺ γάρ*, quod etiam magis a litteris abest.

Sed quod verbum pro *πολλόν* sententiae conveniat, iam quaeramus. Antigonam Ismenae dictis inflammatam ira esse apparet. Etenim illa sororem monens, ut, quod moliatur, id celet atque occulat, inscia eam quasi adhortatur, ut ipsam quoque timidam esse neque consilium suum honestum confiteatur. Illam igitur tam illiberalem adhortationem indignata (*οἴμοι*) Antigona iubet sororem, quod ipsa factura sit, id non in tenebris, sed clarissima in luce collocare. Adhortatur sororem, ut indicium faciat, omnibus enuntiet ipsius inceptum. Nonne autem probabile est Antigonae adhortationem illam, ut indicium faceret, id verbum secutum esse, quo, si quis non crederet mulierem infirmam edictum regis neglegere ausam esse, Ismena indicium suum confirmare iuberetur, quo magis contraria Antigonae adhortatio adhortationi illius *κρυφῇ κεῦθε* fieret? Atqui qua re alia indicium saepius confirmatur nisi iure iurando? Ecce quam prope abest ab litteris ΠΟΛΛΟΝ id, quod requiritur, ΠΟΜ⟨ΟC⟩ΟΝ = *'πόμοσον*[1]) (post *καταύδα* pro *ἐπόμοσον*:

οἴμοι, καταύδα, 'πόμοσον· ἐχθίων ἔσει
σιγῶσ', ἐὰν μὴ πᾶσι κηρύξῃς τάδε.

'indicium fac et iure iurando confirma sive ius iurandum adde', „verkünd' es und beschwör' es!“

Cf. Soph. Trach. 427 sq.

ποίαν δόκησιν; οὐκ ἐπώμοτος λέγων
δάμαρτ' ἔφασκες Ἡρακλεῖ ταύτην ἄγειν;

El. 47 *ἄγγελλε δ' ὅρκον προστιθείς*[2])
Ant. 305 *εὖ τοῦτ' ἐπίστασ', ὅρκιος δέ σοι λέγω.*
Aesch. Ag. 1196 *ἐκμαρτύρησον προὐμόσας.*

Verbum *ἐπομνύναι* significationem habens iure iurando confirmandi saepius reperitur Thuc. 2, 5 *Θηβαῖοι μὲν ταῦτα λέγουσι καὶ ἐπομόσαι φασὶν αὐτούς.* Xen. Cyrop. 4, 1, 23 *κἀκεῖνος ἐπομόσας· νὴ τὸν*

[1]) Similiter Reisigius v. 557 in Oed. Col. *θέλω 'περέσθαι* pro *τι ἐρέσθαι*, Burgesius in Phil. v. 355 *'π' ἄκρον* pro *πικρόν* restituit.

[2]) *ὅρκον* Reiskius emendavit, *ὅρκῳ* L.

Δί, ἔφη, κτέ. Xen. Anab. 7, 8, 2 *ὁ δ' αὐτῷ ἐπομόσας εἶπεν.* Aristoph. Lys. 211 *ὑμεῖς ἐπομεῖσθε ταῦτα κἀμπεδώσετε.*

Imperativa *κατανύδα, 'πόμοσον ἀσυνδέτως*, ut ita dicam, coniuncta[1]) produnt violentiam animi commoti et irati. Cf. ex. gr. v. 708 *δράτω, φρονείτω μεῖζον*, Soph. El. 632 *ἐῶ, κελεύω.*

Ut ad sententiam loci redeam, ut qui factum suum occulere studet, iurare solet se eam rem, cuius accusatus sit, non fecisse, velut Creon v. 538 sq. Ismenam interrogat *καὶ σὺ τοῦδε τοῦ τάφου | φήσεις μετασχεῖν ἢ 'ξομεῖ τὸ μὴ εἰδέναι*, sic Antigona contentione orationis usa (cf. *ἐὰν μὴ πᾶσι κηρύξῃς τάδε*) adhortatur sororem, ut non modo de incepto suo indicium faciat, verum etiam, quo magis indicio fides habeatur, iure iurando confirmet.

Quod ad originem corruptelae attinet, latere vides ΠΟΛΛΟΝ in ΠΟΜ⟨ΟC⟩ΟΝ. Litterae simillimae Μ et ΛΛ, ut saepe (cf. ex. gr. in eiusdem fab. v. 436 *ἅμ'* emendationem Dindorfii pro librorum scriptura *ἀλλ'*), permutatae sunt et syllaba ΟC medio in verbo intercidit, sive librarius ab Ο(C) ad Ο(Ν) aberravit, sive *οσ* sensu cassum in *πολλοσον* consulto omissum est metri ipsius necessitate.

Antigona v. 611 sqq.

τό τ' ἔπειτα καὶ τὸ μέλλον
καὶ τὸ πρὶν ἐπαρκέσει
νόμος ὅδ'· οὐδὲν ἕρπει
θνατῶν βιότῳ πάμπολις ἐκτὸς ἄτας.

Hic vexavit *πάμπολις* omnes et editores et lectores. Fortasse ferri posset, si iunctum esset cum *νόμος*: 'lex, quae per omnes civitates, per omnem rempublicam valet'. Nunc autem id vocabulum, quod ad sententiam refertur praecedentem, in media sententia sequente nullo pacto recte positum est. Haec difficultas non tollitur tentamine vel Emperii *οὐδὲν ἕρπει — θνατῶν βιότῳ πάμπολις — ἐκτὸς ἄτας* vel Boeckhii *οὐδὲν ἕρπων θνατῶν β. πάμπολις ἐκτὸς ἄτας.* Quae quam artificiosa sint, sponte intellegitur. Neque quidquam proficitur Ellendtii conamine (Lex. Soph. Ell.) *οὐδὲν ἕρπειν θνατῶν βίοτον πάμπολιν ἐκτὸς ἄτας.* Molestum est exitus trium vocabulorum mutari. Quam vero obscurum sit *βίοτον πάμπολιν*, vides ex ipsa versione Latina Ellendtii 'universam vitam qualiumcumque hominum'.

Quae cum ita sint, inter omnes criticos nunc constat *πάμπολις* esse corruptelam. Itaque *πάμπολις* multas multorum mutationes passum est. Atque coniecturae Schneidewini *βίοτον τὸν πολὺν*, Bellermanni *τᾶς Διὸς ἐκτὸς ἅ.*, aliae, nemini alii nisi eis, qui eas proposuerunt, probatae sunt. Veri speciem quandam habere nonnullis visa est Lindemanni, Hartungi, L. Langei coniectura *παντελές*[1]). At *παντελής* nusquam significationem immodestiae aut superbiae habet, sed tantum significat 'perfectus, plenus; omnia perficiens'.

Neque recte Hartungius *παντελές* adverbialiter dictum esse putavit scribens *οὐδέν' ἕρπειν θνατῶν βίοτον παντελὲς ἐκτὸς ἄτας.* Nam *παντελές* adverbialiter dictum nusquam legitur, tantum aliquotiens *ἐς παντελές.*

Sed multi receperunt Heathii coniecturam *πάμπολύ γ'*. At ne sic quidem sententia plana aut dilucida restituitur, ut ex ipsa huius coniecturae explicationum varietate cognosci potest, atque etiam unaquaeque earum habet dubitationem. Alii, ut Erfurdtus et Hermannus *πάμπολύ γ'* adverbialiter dictum esse rati explicaverunt: 'nihil in vita diu culpae expers manet'. At *πάμπολυ* adverbialiter dictum ubi tandem significat diu? Nam paucis locis (apud Platonem), quibus *πάμπολυ* adverbialiter dictum est, nusquam significat 'diu', sed positum est ante comparativos verbave significatione comparativa vim habens 'multo': Plato Legg. I, 630 A *ἀμείνονα ἐκείνου πάμπολυ γίγνεσθαι*, alio loco *πάμπολυ κυριώτεροι κριταί*, tertio *πάμπολυ διαφέρεις αὐτῶν.* Et ne simplex quidem *πολύ* adverbialiter dictum significat 'diu', Sed speciosior est aliorum conatus commendandi *πάμπολύ γ'*, cum nonnulli docti, ut Iebbius, illud cum *οὐδὲν* coniungentes explicent: nihil nimium *(περισσόν)* vel *οὐδὲν μεῖζον ἢ κατ' ἄνθρωπον* vel *οὐδεμία ὑπερβασία.* At hi nullum attulerunt exemplum, ubi has significationes *πάμπολυς* vere exhibet. Henr. Stephani quidem si Thes. Graecae l. inspicies s. v. *πάμπολυς*, videbis hoc nihil usquam aliud significare nisi 'permagnum, permultum, late patens'. Nusquam *πάμπολυς* eam significationem, qua reprehensio contineatur, habere vidi. Quam vim habet ad *οὐδὲν πάμπολύ γ'* commendandum, quod Iebbius affert Plato Legg. VII, 823 B *πάμπολύ τι πρᾶγμα*? Totum locum afferre debuit: *θήρα πάμπολύ τι πρᾶγμά ἐστιν.* Quid? Num putandum est venationem 'opus nimium, *ὑπερβασίαν*' esse?

---

[1]) De imperativo aoristi cum imperativo praesentis coniuncto cf. ex. gr. Eumen. 609 *ἤδη σὺ μαρτύρησον. ἐξηγοῦ δέ μοι*, O. R. 544 *σὺ ἀντάκουσον, κᾆτα κρῖν' αὐτὸς μαθών*, Aesch. Prom. 193 *πάντ' ἐκκάλυψον καὶ γέγων' ἡμῖν λόγον.* Ceterum poëtis metrum animadvertendum erat, ut Eur. Hipp. 473 sq. *λῆγε μὲν κακῶν φρενῶν, | λῆξον δ' ὑβρίζουσα.*

[1]) Bellermannus eam in textum recepit.

Ergo Iebbius non habere, quod vertat *πάμπολύ γ'* 'too much' (nimium), mihi videtur. Praeterea particula *γ'*, quam Heathius inseruit, mihi displicet. Nam Sophoclem, quam legem vitae humanae statuere voluit, eam non tantum ad res maximas quasque ad spesque maximas quasque pertinentem fecisse, sed eam legem omnino ad res humanas pertinere dixisse mihi persuasum est.

Minima mutatione litterarum sententiam aptam planamque restitui posse demonstrare iam studebo.

In huius cantici prima stropha chorus, quot una domus calamitatibus obruta esset quantaque deorum potentia in Labdacidarum domo cerneretur, contemplatus ea, quae in huius generis fato vidit, quod exemplum miseriae humanae ac divinae potentiae essent, latius patere sensit. Ac transiens ab amentia in dicendo animique furore, quae Antigona ostendit, ad res humanas ob eam quoque rem eas periculosas esse perspicit, quod homines modum, quem cuique rei esse deus voluerit, saepe excedant. Priusquam exponit, quam rerum humanarum legem esse cognoverit, quo planius vicissitudines earum potentiae divinae experti omnis mutationis opponantur, illam multis dicendi coloribus usus describit (v. 606—610). Deinde pronuntiat legem vitae humanae:

οὐδὲν ἕρπει
θνατῶν βιότῳ πάμπαν ὂν ἐκτὸς ἄτας.

De mendo ΠΑΜΠΟΛΙϹ pro ΠΑΜΠ[ΑΝ]ΟΝЄ(*κτός*) infra dicetur.

Latine vertas: 'nihil hominum vitae accedit prorsus vel omnino tutum a calamitate sive utique mali immune; Germanice: „nichts kommt dem Leben der Menschen zu gänzlich entrückt dem Verderben".

Quod in *πάμπαν ὂν ἐκτὸς ἄτας*, etsi plus momenti habet quam *ἕρπει θνατῶν βιότῳ*, constructio participii adhibetur, duabus locutionibus coniunctis locutionem maiorem vim habentem ex Graeca oratione censtructionem participii saepe exhibere constat. Cf. ex. gr. El. 551, O. C. 1083, Phil. 403 sq., Solonis illud *γηράσκω δ' αἰεὶ πολλὰ διδασκόμενος*. Illudque moneo in verbis elegantem et fortasse a poëta ipso petitam membrorum legis concinnitatem inesse. Etenim respondent inter sese in lege:

| *οὐδὲν ἕρπει* | *θνατῶν βιότῳ* ||
| *πάμπαν ὂν* | *ἐκτὸς ἄτας* ||

et quater bina et bis quaterna verba. Legi aeque ad omnes homines, aeque ad omnia tempora (*τό τ' ἔπειτα καὶ τὸ μέλλον καὶ τὸ πρὶν ἐπαρκέσει νόμος ὅδ'*) pertinenti respondet partium orationis aequalitas.

Cum locutione *εἶναι ἐκτὸς ἄτας* cf. Phil. 504 *ἐκτὸς ὄντα πημάτων*, Soph. fr. 657, 3 (Phryg.) *ἐκτός εἰσι τῶν κακῶν*.

Sententia legis est:[1]) nihil est in rebus humanis, quod non propter mentis perturbationem atque dementiam ab dis immissam aut propter fortunae vim vel utcumque vel quandoque hominibus causa calamitatis fieri potest. Quod omnes res humanae calamitati alia aliter aut alias obnoxiae sunt, homo numquam prorsus extra calamitatem versatur.

Quare legem *οὐδὲν ἕρπει θνατῶν βιότῳ πάμπαν ὂν ἐκτὸς ἄτας* per se ipsam veram eandemque poëta tragico dignam esse credo[2]), atque illius documento in fabula sunt Creon, qui in potentia sua utenda modum excedens in calamitatem incursurus est, Antigona, quae in pietate erga fratrem exercenda pertinacia immodestiaque in dicendo usa calamitatem subit, Haemon denique, qui propter amorem in Antigonam mentis perturbatione affectus[3]) ad interitum ruit: potentiam igitur et defensionem pietatis et amorem quasi exempla illius legis *οὐδὲν ἕρπει θνατῶν βιότῳ πάμπαν ὂν ἐκτὸς ἄτας* ob mentis perturbationem non prorsus tuta a calamitate esse poëta hac fabula docuit.

Enimvero in cantico ipso apte cohaerent cum lege, quam statuit poëta, versus praecedentes, quia, quo saepius homines virtute *σωφροσύνης* carentes modum excedant i. e. *ὑπερβασίαν* committant quoque saepius deus in hominum immodestia vindicanda potentia sua utatur, eo magis vitam hominum, quae per se ipsa mille casibus, mille malis obiecta sit, calamitati obnoxiam esse chorus cognoscit canticum ipsum his verbis orsus: *εὐδαίμονες οἷσι κακῶν ἄγευστος αἰών;* apteque sequuntur post illam legem versus antistrophae, quia spes, quibus homines impelli solent, praecipue subiectae fortunae saepissimeque profectae a mentis perturbationibus plenae sunt periculorum.

Haec autem, quam exposui, sententia verborum *οὐδὲν ἕρπει θνατῶν βιότῳ πάμπαν ὂν ἐκτὸς ἄτας* cum aliorum poëtarum tum Sophoclis versuum similitudine confirmatur. Ac primum quidem vide apud Sophoclem ipsum:

---

[1]) Ne longior in sententia legis explicanda esse videar, illud moneo ob eam ipsam rem, quod *πάμπολις* persanatum non est, interpretibus interpretationem legis haud plane certam esse videri. Mekler quidem coniecturis hominum doctissimorum prolatis adnotat: 'quorum moliminum discrepantia docet de universa sententiae interpretatione minime inter viros doctos constare' (Adnot. crit. p. 67).

[2]) Verba Wecklini ad v. 617 sq. adnotantis: „Der Dichter gibt hier gewissermassen eine Theorie des tragischen Glückwechsels" magnopere mihi ita probantur, ut tamen ea iam de v. 613 sq. dici velim.

[3]) Cf. v. 791 sqq. *σὺ (Ἔρως) καὶ δικαίων ἀδίκους | φρένας παρασπᾷς ἐπὶ λώβᾳ, | σὺ καὶ τόδε νεῖκος ἀνδρῶν | ξύναιμον ἔχεις ταράξας.*

Phil. v. 501 sqq. σύ μ' ἐλέησον εἰσορῶν
ὡς πάντα δεινὰ κἀπικινδύνως βροτοῖς
κεῖται παθεῖν μὲν εὖ, παθεῖν δὲ θάτερα.
χρὴ δ' ἐκτὸς ὄντα πημάτων τὰ δείν' ὁρᾶν.

Trach. v. 296 sq. ὅμως δ' ἔνεστι τοῖσιν εὖ σκοπουμένοις
ταρβεῖν τὸν εὖ πράσσοντα, μὴ σφαλῇ ποτε.

Ant. v. 1156 sq. οὐκ ἔσθ' ὁποῖον στάντ' ἂν ἀνθρώπων βίον
οὔτ' αἰνέσαιμ' ἂν οὔτε μεμψαίμην ποτέ.

Similes versus Aeschylei sunt Prom. v. 274 sqq.
συμπονήσατε | τῷ νῦν μογοῦντι. ταὐτά τοι πλανωμένη | πρὸς ἄλλοτ' ἄλλον πημονὴ προσιζάνει.

Cho. v. 1018 sq. οὔτις μερόπων ἀσινῆ βίοτον
διὰ παντὸς ἄνατος[1]) ἀμείψει.

Atque etiam in similibus versibus reperimus πάμπαν: in Simonidis Amorgini fr. 4 πάμπαν δ' ἄμωμος οὔτις οὐδ' ἀκήριος[2]), in Eur. fr. 196 (Antiope)
τοιόσδε θνητῶν τῶν ταλαιπώρων βίος·
οὔτ' εὐτυχεῖ τὸ πάμπαν οὔτε δυστυχεῖ,
εὐδαιμονεῖ δὲ καὖθις οὐκ εὐδαιμονεῖ.

Iam vero afferre possum aliam, quam alius poëta statuit, vitae legem similiter conformatam, trag. frag. adesp. 26
καὶ γὰρ τὸν ἄλλον τόνδε θνητοῖσιν νόμον
ὄψει διαθρῶν οὐδὲν ὂν πάντῃ καλὸν[3])
οὐδ' αἰσχρὸν, ἀλλὰ ταὔτ' ἐποίησε λαβὼν
ὁ καιρὸς αἰσχρὰ καὶ διαλλάξας καλά.

Ut Sophocles, cum ex omnibus rebus malum nasci posse sentiret, quidquam utique mali immune esse negavit, ita poëta ignotus quidquam utique aut honestum aut turpe iudicandum.

Multique alii ex aliis poëtis loci similes comparari possunt, ut versus Diagorae, poëtae Atheniensis, quos Philodemus in libro περὶ εὐσεβείας tradidit: κατὰ δαίμονα καὶ τύχαν τὰ πάντα βροτοῖς ἐκτελεῖται.[4]) Solonis vero versus 65 sq., qui in illa egregia elegia, quae inscribitur ὑποθῆκαι εἰς ἑαυτόν, inveniuntur, quasi explicatio copiosior illius legis sunt, quam vitae humanae legem esse dixit Sophocles:
πᾶσι δέ τοι κίνδυνος ἐπ' ἔργμασιν οὐδέ τις οἶδεν,
ᾗ μέλλει σχήσειν χρήματος ἀρχομένου.[5])

---

[1]) Wecklinus ἄνατος emendavit pro ἄτιμος, Weilius coniecit ἀσινὴς βίοτον διὰ παντὸς ἀπήμον' ἀμ.

[2]) Bergk P. L. G. Lipsiae 1866, II, 738.

[3]) τόνδε pro ὧδε correxit Nauckius, ὂν pro ἂν Cobetus in Coll. crit. p. 235 sq.

[4]) Bergk P. L. G. III, 1222.

[5]) ibd. II, 426.

Quin etiam commoda, quae hominibus di dederunt, non prorsus extra calamitatem posita esse docetur ibd. v. 74 sqq.
κέρδεά τοι θνητοῖς ὤπασαν ἀθάνατοι,
ἄτη δ' ἐξ αὐτῶν ἀναφαίνεται, ἣν ὁπόταν Ζεὺς
πέμψῃ τισομένην, ἄλλοτε ἄλλος ἔχει.

Denique ascribo Theognidis v. 135 sqq.[1])
οὐδέ τις ἀνθρώπων ἐργάζεται, ἐν φρεσὶν εἰδώς,
ἐς τέλος εἴτ' ἀγαθὸν γίνεται εἴτε κακόν.
πολλάκι γὰρ δοκέων θήσειν κακόν, ἐσθλὸν ἔθηκεν·
καί τε δοκῶν θήσειν ἐσθλόν, ἔθηκε κακόν.

Cf. in antistropha huius cantici Sophoclei v. 622 sq. τὸ κακὸν δοκεῖν ποτ' ἐσθλὸν τῷδ' ἔμμεν. Sed haec quidem hactenus.

Iam, quam prope absint ab litteris corruptelae πάμπολις verba πάμπαν ὄν, videamus. Ac primum quidem αν ante ον librarii oculo ab altero ν ad alterum ν i. e. a simili syllaba ad similem aberrante haud dubie facile excidere potuit. Idem mendum accidit in Soph. El. 515, ubi Botheio praeeunte Bergkius restituit pro πολύπονος adiectivum πολυπ⟨άμ⟩ονος, ibd. 182: ἀγαμεμνίδας L, Ἀγαμεμνονίδας libri recent., ibd. 1260: ἂν ante ἀξίαν in L omissum postea additum est; ibd. 1496, ubi ἂν ante ἐν excidit[2]), idem mendum Vauvillerio praeeunte Brunckius correxit in O. C. 1172 restituens ἂν post ὃν pro γέ[3]); ibd. v. 564 pro κινδυνεύματα scriptum est κινεύματα.[4])

Facillime autem in ΠΑΜΠΑΝΟΝЄΚΤΟC intercidere αν ob id ipsum potuit, quod novum vocabulum, hoc ipsum ΠΟΛΙC, ex litteris ΠΟΝЄ coalescere potuit. Quid? si in ἐκτός Є, ut saepissime, semel C scriptum fuit, nonne primo aspectu videmus librario speciem vocabuli usitati atque triti πόλις in ΠΑΜΠ[ΑΝ]ΟΝC-ΚΤΟC quasi necessario obiectam esse? Similiter in Aesch. Cho. 224 Weilius τάΔ⟨ЄΛ⟩ЄΓꞶ σε προυννέπειν pro τάδ' ἐγώ σε προὐννέπω emendavit, similiter ex κοινωνός Aesch. Suppl. 343, quod Sophianus restituit, fluxit κοινός; similiter primaria scriptura in Soph. O. R. 252 τὰ πάντ' ex (ταῦ)τα πάντ', O. C. 1218 ὁπότ' ἄν τις ex ὅπ(ου)ὅταν τις orta est, simillime Soph. El. 515 ex πολυπ(άμ)ονος (certa Bergkii emendatio) fluxit πολύπονος.

Hanc coniecturam litteras litteris traditis proxime accedentes exhibere originemque corruptelae facillime declarare iam satis

---

[1]) ibd. II, 493.

[2]) Adnot. crit. ed. Mekleri (Addenda) p. 105.

[3]) Hic omisso ἂν inculcatum est γέ Atque etiam ibd. post γάρ (v. 146), post οὔτ' (v. 426) omissum est ἄν.

[4]) Hic tamen diorthotes, ut Dindorfii appellatione utar, νδυ omissum addidit.

perspicuum est. Sed alia quoque, quae illi favere videntur, proferri possunt. In L *πάμ̄πολις* scriptum esse constat. Quod autem „—“ in L signum compendii est, haud plane alienum esse videtur putare librarium olim compendio usum pro *πάμπαν* scripsisse *πάμ̄π*. Signum super *παμ* ex. gr. simile est compendio super *οὐνον* (O. C. 381) = *οὐρανόν*. Cf. O. R. 1100 emendationem Lachmanni *πατρὸς πελασθεῖσ'* pro *προσ* (*προς* = *πατρὸς*) *πελασθεῖσ'*. De vitiis ex compendiosa scriptura in L natis vide Artem Soph. em. Wecklini p. 72 sq. Ex vestigiis compend. script. ibi collectis adnoto: Ai. 860 *Σαμῖνος* pro *Σαλαμῖνος*, El. 99 *πέκει* pro *πελέκει* scriptura primaria fuit. Similiter cod. Medic. in Aesch. Cho. 247 *γέννα νῖν* pro *γένναν εὖνιν*, Sept. 849 *ἄ̄νορέα* pro *ἀγανορέα* exhibet.

Atque etiam accentus in *ὄν* etiamnunc vestigium servatum esse videtur, quod facsimile[1]) photographicum codicis Laurentiani XXXII, 9, quod diligenter inspexi, non *πάμπολις*, sed *πάμπόλις* habere cognovi ipse. Accentus super *ο* ita tenuis est, ut tamen facile cognosci possit; simillimus est ex. gr. accentui in *νόμος* (v. 613). Sed de corruptelae *πάμπολις* origine iam satis dictum est.

Philoctetes v. 501 sqq.

σύ μ' ἐλέησον, εἰσορῶν
ὡς πάντα δεινὰ κἀπικινδύνως βροτοῖς
κεῖται παθεῖν μὲν εὖ, παθεῖν δὲ θἄτερα.
χρὴ δ' ἐκτὸς ὄντα πημάτων τὰ δείν' ὁρᾶν,
χὤταν τις εὖ ζῇ, τηνικαῦτα τὸν βίον
σκοπεῖν μάλιστα, μὴ διαφθαρεὶς λάθῃ.

A sententia loci *τὸν βίον* abhorrere contendo. Nam, praeterquam quod in verbis '*μὴ διαφθαρεὶς λάθῃ*' *ὁ βίος* subiectum parum aptum est, ut locutiones *τὰ δείν' ὁρᾶν* et *παθεῖν δὲ θἄτερα* (= *κακῶς παθεῖν*) substantivumque *πημάτων* aliud contrarium requirunt atque *τὸν βίον*, ita ad locutiones *παθεῖν εὖ* et *εὖ ζῇ* non quadrat *τὸν βίον*. Accommodatam locutionem coniectura Blaydesii[2]) *τἀκ θεῶν* non restituit, a litteris traditis vero plane longe abest. Plus vidit Nauckius. Adnotavit enim in app. crit. ed. Philoct. p. 147: '*τὸν*

---

[1]) Facsimile of the Laurentian Manuscript of Sophocles, London 1885.
[2]) Adnot. crit. ed. Mekleri p. 93; ibd. Mekler ipse *βίον* suspectum dicit.

βίον ist unrichtig. Gegen *τοὐπιὸν* (so Mekler) scheint das nachfolgende *διαφθαρεὶς* zu sprechen. Vielleicht *τηνικαῦτ' ὄλβον μέγαν*?' Substantivum *ὄλβον*, cum et verbis *παθεῖν θἄτερα, πημάτων, τὰ δείν'* contrarium sit et verbis *παθεῖν εὖ* et *εὖ ζῆν* respondeat idemque ad verba *μὴ διαφθαρεὶς λάθῃ* accommodatum sit, sententiae loci profecto maxime convenit. Quamquam *μέγαν* displicet, quod licentia quadam versus explendi non caret. Nauckius igitur rationem loci sanandi incohavit, sed rem non confecit neque quidquam attulit ad originem corruptelae explicandam.

Miror neminem Nauckii coniecturam rectam *ὄλβον* secutum ex *τηνικαῦτα* ΤΟΝΒΙΟΝ elicuisse *τηνικαῦτα* ΓΟΛΒ(Ο)ΝΟΝ = *τηνικαῦτά γ' ὄλβον ὃν*.[1]) In ΒΟΝΟΝ latere ΒΙΟΝ vides. Eadem neglegentia librarii accidere potuit, ut articulus ΤΟΝ ad *βίον* irreperet pro ΓΟΛ, quippe quod et propter similitudinem magnam litterarum Γ et Τ, Λ et Ν et propter ΤΑ praecedens litterasque ΟΝ bis sequentes permutationi in ΤΟΝ obnoxium esset. Adde, quod formis articuli nihil librario magis in promptu fuit: ex. gr. El. 308 et Ai. 776 *τοῖς* pro *τοι*, El. 1478 *ζῶν τοῖς θανοῦσιν* pro *ζῶντας θανοῦσιν* in L scriptum est, itemque in Eur. Med. 194 *ηὕροντ' ὄλβου* pro *ηὕροντο βίου* F. Leo emendavit.[2])

Sed a ratione palaeographica redeamus ad verba ipsa, quae restituenda puto:

χρὴ δ' ἐκτὸς ὄντα πημάτων τὰ δείν' ὁρᾶν,
χὤταν τις εὖ ζῇ, τηνικαῦτά γ' ὄλβον ὃν
σκοπεῖν μάλιστα, μὴ διαφθαρεὶς λάθῃ (scil. *ὄλβος*).

Particula *γέ* habet suum locum, quod *μάλιστα* particulam *γέ* ad *τηνικαῦτα* requirit: in ipsis rebus secundis vicissitudines fortunae timendae sunt. Id cum ceteri tragici tum Sophocles et fortuna personarum fabularum illustraverunt et multis verbis expresserunt: O. R. v. 1524 sqq. *Οἰδίπους ὅδε, | ὃς .. κράτιστος ἦν ἀνήρ, | οὗ τίς οὐ ζήλῳ πολιτῶν ἦν τύχαις ἐπιβλέπων, | εἰς ὅσον κλύδωνα δεινῆς συμφορᾶς ἐλήλυθεν.*

Ant. v. 1272 sqq. verba Creontis: *ἐν δ' ἐμῷ κάρᾳ | θεὸς . . . ἔπαισεν, ἐν δ' ἔσεισεν ἀγρίαις ὁδοῖς, | οἴμοι, λακπάτητον ἀντρέπων χαράν. | φεῦ φεῦ, ὦ πόνοι βροτῶν δύσπονοι.*

---

[1]) In dictione poëtica saepe pronomina possessiva articulo carentia substantivo suo postponi constat. Pronomen possessivum *ὅς* (suus) ab Homero saepissime usurpatum ab tragicorum oratione alienum non est. Raro invenitur pronomen *ὅς* et apud Aeschylum: Eum. 366 *λέσχας ἃς* et Sept. 641 *λιτῶν τῶν ὧν* et apud Euripidem, ut Med. 955 *ἐκγόνοισιν οἷς*, sed saepius (quinquies) hoc pronomine utitur Sophocles: Ai. 442, O. R. 1248, O. C. 1639, Trach. 266, 525 (*τὸν ὃν προσμένουσ' ἀκοίταν*) in his versibus quater in diverbio.
[2]) Ed. II. Prinzii et Wecklini, Lips. 1899; emendatio Leonis in textum recepta est (p. 15).

Trach. 293 sqq. Deianira, quasi Herculis mariti suaeque fortunae commutationem divinet, haec dicit: *πῶς δ' οὐκ ἐγὼ χαίροιμ' ἄν, ἀνδρὸς εὐτυχῆ | κλύουσα πρᾶξιν τήνδε, πανδίκῳ φρενί; | . . . ὅμως δ' ἔνεστι τοῖσιν εὖ σκοπουμένοις | ταρβεῖν τὸν εὖ πράσσοντα, μὴ σφαλῇ ποτε.*

Etiam similiora verba exhibent: Aesch. Pers. v. 215 sq. *ὡς ἐν μιᾷ πληγῇ κατέφθαρται πολὺς | ὄλβος*, ibd. v. 161 sqq.[1]) *καί με καρδίαν ἀμύσσει φροντίς· ἐς δ' ὑμᾶς ἐρῶ | μῦθον, οὐδαμῶς ἐμαυτῆς οὐδ' ἀδείμαντον, φίλοι, | μὴ μέγας δαίμων κονίσας οὖδας ἀντρέψῃ ποδὶ | ὄλβον, ὃν Δαρεῖος ἦρεν οὐκ ἄνευ θεῶν τινος*, Ag. v. 1005 sq. *καὶ πότμος εὐθυπορῶν | (= ὄλβος) ἀνδρὸς ἔπαισεν ἄφαντον ἕρμα* (cf. *διαφθαρεὶς λάθῃ*).

Soph. O. R. v. 1282 sqq.

ὁ πρὶν παλαιὸς δ' ὄλβος ἦν πάροιθε μὲν
ὄλβος δικαίως· νῦν δὲ τῇδε θἠμέρᾳ
στεναγμός, ἄτη, θάνατος, αἰσχύνη, κακῶν
ὅσ' ἐστὶ πάντων ὀνόματ', οὐδέν ἐστ' ἀπόν.

Trach. 284 *ἐξ ὀλβίων ἄζηλον εὑροῦσαι βίον.*

---

[1]) Lectionem ed. Wecklini sequor.

Vita.

Verfasser, geboren am 22. März 1876 in Augsburg, Sohn des Oberlandesgerichtsrates Alwin Heindl in München, besuchte in den Jahren 1886—1895 das k. humanistische Gymnasium St. Stephan in Augsburg. Hierauf studierte er klassische Philologie an der k. Ludwig-Maximilians-Universität in den Jahren 1895—1899. Im Jahre 1898 unterzog er sich dem I., 1899 dem II. Abschnitt der Prüfung aus den philologisch-historischen Fächern. Dann besuchte er den pädagogisch-didaktischen Seminarkurs am k. Maximilians-Gymnasium in München; seit September 1900 ist er am k. Luitpold-Gymnasium in München als Assistent thätig.



13'